



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Gesta Baldevvini de Luczenburch Treverensis Archiepiscopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688



INCIPIVNT GESTA VENERABILIS
 Domini Domini Baldevvini de Luczenburch
 Treverensis Archiepiscopi & Henrici Impe-
 ratoris germani sui de Luczenburch.

BEata consideratione cogitavi dies antiquos glo-
 riosorum gestorum magnificorum virorum in
 curiositate scriptorum immemorialiter pro dolor
 præterire, animadversioneque disceptavi annos æ-
 ternos retributionis præmiorum laborum singulo-
 rum hic operatorum post hanc vitam unumquemque
 pro mercede reperire. Laudes igitur rerum gesta-
 rum dignè recolendarum sub modio non ponan-
 tur, nec obfuscatò ignorantia nubilo aliquialiter
 involvantur. In ea exultabo, & mirè miranda
 mirabilia tua prout potero narrabo. Ei ergo qui
 est fons & origo omnium bonorum, ad hono-
 rem, ut ipse in suis glorificetur creaturis, sunt
 temporum gestavivæ memoriæ jugiter commen-
 danda. Vivæ memoriæ res gestæ tunc aliquialiter
 donantur, ut in eis posterì emendentur & glo-
 riosa antecessorum gesta providè imitentur. Vo-
 cis enim viva locutio velut umbra dinoscitur mo-
 re defluentis aquæ pertransire, & sicut fumus in
 aërem dispersus evanescens non solet revenire. Iu-
 biloque sicut cum aromato quotienscunque corde
 tanguntur, totiens auscultantium corda jocundan-
 tur, sic gloriosa magnatorum gesta litterali descrip-
 tioni tradita, quotienscunque recitantur, totiens
 probi & discreti virtutum hauriendo exemplaria læ-
 tificati meliorantur. Nunc, sicut videmus, omni-
 potens Deus non solùm verbo tenus Moyse legem
 tradere, sed digito suo tabulæ insculptam lapideæ,

ut semper ejus jugis & viva perseveret memoria, dignatus est ministrare. Volo igitur, prout se facultas offeret meæ parvitati, non tumescentis laudis adulatione, sed humilis mentis in imo audacissima præsumptione, magna gesta gloriosi Principis almi Gallia Germaniæ Primatis venerabilisque Patris & Domini Domini Baldevvini de Luczenlinburch Trevirorum Archiepiscopi scriptis commendare. Sed quod non sufficiam, scriptorum vernula fiam. Scribere igitur incipiam, in primis capitulorum ponendo distinctiones, & postea eorum prosecutiones quæ per eum gesta sunt, & quæ ejus temporibus evenerunt, quæ vidi, & quæ veridica proborum & discretorum relatione famaque generali voluntate audivi, ponere non obmittam. Invocho ergo adjutorium patris luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendens est in corde hominum, ut mihi Spiritum sanctum mittat in adjutorium, & hoc opusculum, immo mihi opus permaximum, Domino nostro Iesu Christo ad honorem, & reverendo Domino Domino Baldevvino Archiepiscopo ad favorem, omnibusque posteris ad exemplar utilitatis valeam inhoare, pertractare, & sine optimo consummare. Hoc mihi dignetur præstare Deus trinus & unus.

INCIPIVNT CAPITVLA PRIMI LIBRI.

- I. *De vita & morte antecessoris.*
- II. *De ejus postulatione.*
- III. *De ejus confirmatione.*
- IV. *De ejus consecratione.*
- V. *De ejus receptione.*
- VI. *De ejus genealogia & obitu patris.*
- VII. *De ejus physionomia.*

- VIII. *De ejus pueritia & adolescentia.*
 IX. *De pacis & justitia observatione.*
 X. *De ejus vita & conversatione.*
 XI. *De ejus provisione.*
 XII. *De ejus familia promotione.*

INCIPIVNT CAPITVLA SECVNDI LIBRI.

- I. *De Henrico ejus germano Romanorum Imperatore septimo.*
 II. *De electione per Dominum Baldevvinum Archiepiscopum procurata.*
 III. *De Henrici Regis consecratione & coronatione.*
 IV. *De nudinis per Dominum Baldevvinum Treverensibus à Rege impetratis, & ejus recessu.*
 V. *De Iohanne Henrici Regis nato in Regem Bohemia creato.*
 VI. *De Adolphi & Alberti Romanorum Regum suorum antecessorum per Henricum Regem facta translatione.*
 VII. *De Domini de Virtinberch expugnatione.*
 VIII. *De Lombardia itineris arreptione.*
 IX. *De obitu Comitis de Saroverden, & Alpium transcensione.*
 X. *De triumpho in Mediolano, & ejusdem ibidem secunda corona receptione.*
 XI. *De privilegio Treverensis Ecclesie per Dominum Baldevvinum ibidem impetrato, & Subcancellarij concrematione.*
 XII. *De justitia de Theolaldis Brusach facta, & Brixienfis civitatis expugnatione.*
 XIII. *De obitu Regine, introitu Romæ, & cellæ quatuor coronatorum per Dominum Baldevvinum facta in habitatione.*
 XIV. *De Capitolij triginta turrium & monaste-*

- rij Minorum violenta expugnatione.*
 XV. *De multorum castellorum & castrorum expugnatione & pralio in Lantsisc, & Florentinorum obsidione.*
 XVI. *De castelli sancte Mariae novella per Dominum Baldevinum facta violenta expugnatione, & repatriatione.*

PROLOGVS TERTII LIBRI.

- I. *De Ludolphi Regis per Dominum Baldevinum procurata electione & coronatione.*
 II. *De Iohannis Regis obsessi per Dominum Baldevinum facta liberatione.*
 III. *De pacis terre conspiratione, Brul obsidione, & in manus Domini Baldevini donatione.*
 IV. *De Moguntina Ecclesia prima vice Domino Baldevino facta commissione, Crucenache, Kestelim, Spaynheim obsidione, & Baldensteyn fundatione.*
 V. *De Frederico Duce capto per Iohannem Regem Bohemia, & Furstenberch obsidione.*
 VI. *De Baperd. expugnatione, sancti Vvendelini emptione, & Ecclesia Moguntina Domino Baldevino facta secunda commissione.*
 VII. *De monasterij Carthusiensium consecratione, castri monasterij sancti Iohannis constructione.*
 VIII. *De Limpurch emptione, & Velsperch destructione. De Vernich & dominij de Covertina emptione, & destructione Solinze. De Monckler, Leysheim, Hofelebach, Saffroch, Elkershusen destructione, Dune in Syflia, & Triis acquisitione, & ejus obdormitione.*

LIBER

LIBER PRIMVS.

CAPVT I. *De vita & morte antecessoris.*

Dignus à dignis dignissimè laudatur, licèt ab invidis laudis generositate inaniter destituatur. Dicendæ ergo laudis gratia licet parumper ad superiora ascendere, ut hujus valeam materiæ intellectum exprimere planiorem. Anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, in die beatorum Processi & Martiniani martyrum, prope monasterium Monstredreyse ordinis Præmonsteriensis, Albertus Dux Austriae Adolphum de Nassava Romanorum Regem sæviter occidit congressione præliali, seseque in regno intromisit quod firmiter credidit gladio obtinuisse triumphali. Veruntamen procuravit ab electoribus se in Romanorum Regem electionis jure sublimari & Aquisgrani solemniter coronari. Contra quem summus tunc Pontifex Dominus Bonifacius octavus, eò quòd uxor ejus esset de viperiali genimine feminis Frederici, aliisque multis de causis rigidas exercere sententias publicissimè sublimavit, & Dominum Dycherum Regis defuncti germanum causa ejus vesaniæ resistendi in Trevirorum Archiepiscopum non postulatum nec ab aliqua parte Capituli electum celeriter sublimavit. Capitulum tamen elegerat Henricum de Virneuburch, cui major pars subditorum Ecclesiæ jam obediebat, statim Ecclesiæ suæ terras plurimas & redditus pignoralis cautione & literali obligatione constangiis gravibus damnisque datas impignoratasque per maxima debita contraxit, de quibus parum dicitur persolvisse, & cum in honore esset, non intellexit, viriliterque contra Albertum Regem restitit, & etiam contra Confluentes sibi rebellantes, universum etiam suæ dio-

cesis clerum contra se ipsum inimicitias tumide provocavit. Vnde concors caterva clericalis ipsum ad presentiam Domini Clementis tunc summi Pontificis, dura de eo querimonia facta, vocari in propria persona provide procuravit. Quo citationis termino imminente, de carnis ergastulo quantocius migravit anno Domini millesimo tricentesimo septimo, vicesima tertia die mensis Novembris, Ecclesiam suam non modicum disturbatam, debitisque gravatam, dilapidatam, impignoratam, dissipatamque relinquendo, ita ut ipsa ab imo cordis suspiria possit cum Propheta flebiliter clamare: *Distidisti me tamquam oves escarum, & sine pretio vendidisti, & obligando me multipliciter dispersidisti.*

CAP. II. *Qualiter sit electus.*

Ecclesie ergo sue Treverice Deus totius consolationis gemitus & suspiria parva mora protracta brevissime terminavit divino munere bonitatis anno Domini millesimo tricentesimo septimo, die septima mensis Decembris, Capitulo Treverensi coadunato & ad futurum Præfulem eligendum, vocatis omnibus vocandis, congregato, à majore & saniori parte Capituli venerabilis Dominus Baldevinus de Lutzelinburch Præpositus & Canonicus dictæ Ecclesie, adhuc ipso Parisiensi studio fideliter mancipato, anno nativitatis ejus xxii. in gaudium & lætitiâ totius cleri & populi, divina cooperante gratia, in Trevirorum erat Archiepiscopum sollemniter postulatus. Hinc ovat clerus altissonis vocibus psallens *Te Deum laudamus.* Hinc fit cunctarum compulsatio campanarum, concursus populorum catervatim congregatorum, sic ut ipsa Ecclesia jocunde possit canere cum psalmista: *Saccum meum conscidisti, & me misericorditer circumdedisti multiplicata lætitiâ salutari.*

CAP. III. *De ejus confirmatione.*

Lumen à luminis flamma incenditur. Sic à jure electionis nuntios per sollemnes procuratoresque eximios Pictavium extitit delata, & sanctissimo patri Domino Clementi Papæ publicè intimata. quam quidem postulationem ipse summus Pontifex, inquisitionem faciens condecemtem de persona postulata quàm de postulantum conversatione & vita, parte adversantium frivola appellata totaliterque cassata, benignè approbavit, & de minoritate annorum secum etiam dispensando, ipsum fore admittendum, suo cum Cardinalibus præsidens consistorio, in propatulo publicavit, & more consueto ipsum admittendo sententialiter confirmavit.

CAP. IV. *De ejus consecratione.*

Veritatis igitur fama ejus approbationis Parisius sibi revelata, ipse Baldevvinus confirmatus unà cum Domino Henrico & vulgariter fratribus ejus germanis Pictavum veniens, summo se Pontifici lætenter præsentavit. quod ipse gratanter recepit, & amabiliter salutando. Et anno Domini millesimo tricentesimo septimo, sexto Idus Martij, more Treverico scribi consueto, ipse Dominus Clemens Papa quintus per Cardinalem in Pictaviensi Ecclesia dictum Dominum Baldevvinum in Presbyterum ordinavit, sequenti die cum pluribus aliis Archiepiscopis & Episcopis in Trevitorum Archiepiscopum divinitus consecravit. Ipse verò dictis cum fratribus multisque aliis Cardinalibus & amicis diversis curiarum sollemnitatibus habitis Papam valedicens, ad propria cum suis est reversus. In qua tamen reversione in littera sibi à Domino Petro Moguntinensi Archiepiscopo destinata intellexit Dominum Albertum Romanorum Regem humanæ conditionis debitum persolvisse. Nam ab ejus cognato, Johanne Duce videlicet fratris sui filio, cui quia ipse

Albertus ad instinctum suæ uxoris Reginae volentis hereditare filios suos ducatum Austriae, postquam dictus Albertus occiderat Adolphum Regem, violenter suum patrimonium, videlicet ducatum Austriae, recepit & detinuit, esse dinoscitur interemptus; & illud evangelicum fuit adimpletum in hoc casu: *Mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.*

CAP. V. De ejus receptione.

Zona tranquillitatis, pacis, & concordiae totius patriæ aliquandiu sub antecessore non modicum extitit delanæata, & cleri caterva de nimia rancore materia multipliciter perturbata. Sed misericors & miserator Dominus de excelso throno suo prospiciens Ecclesiae suæ durissimas & lacrymosas oppressiones servituti Babylonicæ dignè comparatas per dictum Baldevvinum, pacem & concordiam reformando, misericorditer relevavit. Nam dictus Baldevvinus ejus in primo adventu lætissimo totam per diocesim cunctis suis officariis & iudicibus dillicte mandavit ut in cunctis suis territoriis tanquam advenis quàm incolis, non per tyrannicum rigorem, sed per incutiendum timorem, universos pacem servare unanimiter coartarent, si ejus gratiam servare & indignationis rubiginem cuperent evitare. Et sic in amœnitæ pacis & concordiae anno Dominico millesimo tricentesimo octavo, die sancti Pentecostes, cum multorum procerum proborum caterva non modica, velut zelotypus sponsam suam visitando, Treverim est ingressus. Hic fit concursus populorum, coadunatio Clericorum. Voce tantamquam præsaga cives Apostolorum pacem portaverunt, patriamque illuminantes hodie advenerunt & sic eum lætantissimè receperunt, & suam in Ecclesiam processionaliter adduxerunt, præsentem matrem, fratres, sororem, & multis spectabilibus viris. Eodem die Missarum solemniter celebravit.

vit, curiam sollempnem faciens, & sumptuosam, cunctos advenientes lautissimè procuravit, à nobilibus & subditis * huldas & subjectiones debitas acceptavit, & feodalia feodalibus in feoda condonavit, cunctaque antecessoris debita persolvit, dissipata & obligata, omnimodè satisfaciens, ad jus & proprietatem suæ Ecclesiæ viriliter revocavit.

* id est, fidei sacramenta, ut interpretatur Brovverus.

CAP. VI. *De genealogia ejus, & obitu patris.*

Zeli scribendæ historiæ est parumper ad superiora ascendere, ut ejus seriem clariori luce valeam pertractare. Anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo quinto nobilibus de parentibus, videlicet Henrico Comite Luczelinburgensi patre & Domina Beatrice de Bellomonte in Hannonia matre Dominus Baldevvinus exstitit nobilis natus. Avus ejus eodem nomine Henricus dictus Blondel Fuille, qui Dominum Baldevvinum * protavus scitur publicè exstitisse. qui ducarus à Coloniensibus finibus longè latèque circa Rhenum extenditur, & multas habens munitiones & castra, ultra Mosam protenditur, & feodum Coloniensis Archiepiscopi esse in parte perhibetur. Isto Vvalrano defuncto, Henricus dicti Baldevvini avus in patrimonio succedere debuerat paterno. Sed Dux Brabantiae illum sibi indebitè hodierna die noscitur usurpasse. Isto verò Henrico de medio facto, Henricus pater Domini Baldevvini in comitatu Luczelinburgensi successit. Eo tempore Coloniensis castrum Vorinche inter Coloniā & Nussiam quondam situatum, quod prius Archiepiscopo ad patriæ tuitionem juvamine construxerant, de quo rapinæ erumpebant, amore pacis pro aliqua pecuniæ summa ab Archiepiscopo ut illud in fortiori loco ad littus Rheni reedificavit; quem cùm officiatu suis interrogans de quo castrum deberet retinere, cùm annuis careret redditibus, dicitur respondisse:

* Defunt heic nonnulla.

* thelonicis

Quatuor viæ sunt trans castrum situatæ. Quod ille audiens alveum Rheni transmeantes * thelonicis exactioibus aggravavit, terram verò transeuntes multipliciter rapinis molestavit. De quo cum Archiepiscopus rogatus à Coloniensibus non desisteret, Colonienses dictum castrum obsidione circumsepserunt. quam obsidionem Archiepiscopus solvere cupiens, exercitum permaximum congregavit. Tunc Coloniensibus in adiutorium, quia cives sunt eorum, Dux Brabantiæ & Comes de Monte celeriter concurrerunt. Qui Comes dicto Duci partem ducatus Limburgensis se contingentem pro quadam pecuniæ summa noscitur vendidisse. Econtrà Henricus Comes Luczelinburgensis Ducem Brabantiæ pro dicto ducatu Limburgensi impetens, & ipsius partem à Coloniensi Archiepiscopo in feodum recipiens, Ducem diffidavit, & cum Vvalramo germano suo aliisque duobus fratribus Militibus, obscurè tamen natis, in Archiepiscopi adiutorium properavit. Hic discordia discordiæ sociatur, & guerra guerra rigidè cumulat. Quodam ergo die sabbatino, Archiepiscopo prælium inire voluntario, à Coloniensibus mandatur eos sibi & omnibus adherentibus per biduum victualia ministraturos, si ob honorem Dei sequentem dominicalem diem ejusque genetricis præsentem diem sabbatinum à præliis vacando dignaretur celebrare, maximè cum sua turba die tenus sumeret augmentum, earum verò nullum sperarent sumere incrementum. Quod Archiepiscopus accepisset, si Henricus Comes non dixisset: Heu! non debemus hodie propter Clericum timorofum prælium inire gloriosum? Hoc cum Archiepiscopus intellexisset, dicitur respondisse, Probrior mea clericatura in campis ejus militum noscitur fuisse, mandans Coloniensibus ut se præpararent & inire prælium secum non tardarent.

Hic clangor auditur, tubarum resonantia fistularum, sonus tympanorum, clamor populorum in mortem se præparantium. Heu heu! cujuslibet partis acies ejus dividitur in turmas. Primò Colonienses cum Archiepiscopo prælium inchoantes, partem deteriorem habere. Secundò Henricus Comes cum Duce prælium commiscens, Duce ad jactum lapidis retropresso, Comes visus fuit prævalere. Tertiò Comes de Monte inermibus suis cum rusticis in vulgo Kempen appellatis in Coloniensium & Ducis adjutorium prælium aggressus, Archiepiscopi & Henrici Comitis partes infirmavit, separavit, dissipavit totaliter & prostravit. Heu miserabile spectaculum! Hic captivatur, ille trucidatur, hic morti addictus spoliatur, ille in Rhenum fugiens suffocatur, in nemore verò paludinoso submerguntur plures, substantiæ capiuntur, fugæ à multis rapiuntur, Archiepiscopus verò à Comite de Monte capitur & custodiæ in Bensbure mancipatur. Proh dolor! Vbi Comes Henricus miles imperterritus fugere nescius cum Vvalramo germano proprio duobus aliisque prædictis fratribus miserabiliter fuerat interemptus anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, sabbato, die beati Bonifacii martyris, hinc ploratus & ululatus de tam parvulis pupillis, Henrico, Vvalramo, & Baldevvino, Baldevvino verò nondum trimatus anno completo, patre orbatis. Quid essent acturi, quòve diversuri, à nonnullis querulosè in altum elevatur. Sed illud diffortunium eis in fortunam numen mutavit divinum. Nam Henricus in imperialis dignitatis apicem, ut infra patebit, fuit elevatus, Baldevvinus verò in Trevirorum archiepiscopalem dignitatem exstitit sublimatus.

CAP VII. *De ejus physionomia.*

Est etiam ejus physionomia ad posterorum uti-

litem memoriæ commendanda, ad utilitatem inquam, quia animæ sequuntur complexionem corporum, ut posterius ejus complexionem cognoscetes, probabiliter credant morum ut virtutum ejus insignia, quæ ponuntur postea, in eo omnimodè extitisse. Fuit enim staturæ mediocris, caput sicut spheram parumper impressam formosum habuit & rotundum, capillos capitis & barbæ subtiles, in colore citrinos, medios simplices, medios crispas, quæ omnia subtilis cerebri substantiæ esse indicia referuntur. Anticipit qualibet parte elevatum, quod est bonæ apprehensivæ signum. Occiput elevatione amplatum, quod bonæ memoriæ signum esse determinatur. nasum pulchrum, grossitudine mediocrem, auditum acutum, vocem dulcem habuit & acutam, oculos limpidissimos, appropè aliquantulum sursum videndo acutissimos, sed à remotis videndo Limburgensium more obtusos, aures rotundas. Hæc bona organorum dispositio sensuum perfectionem noscitur denotare. Collum verò ejus in longitudine & brevitate mediocriter dispositum, forte tamen & nervosum, scapulas largas, brachia & crura fortiora & nervosa cum musculis non multum carnosus, pectus amplum & elevatum, dorsum rectum & bene dispositum, cutem albam rubore aspersam, carnes molles ingenium bonum representantes, corpus verò totum mediocre, agile & subtile noscitur habuisse. quæ omnia prudentiæ & fortitudinis esse signa à naturalibus allegantur. Vnde si ejus virtutum insignia postea recitantur, nemo miretur, cum per subtiliora aurifabri instrumenta opus subtile fabricetur.

CAP. VIII. De ejus pueritia & adolescentia.

Lux irradiationis intellectualis morum & virtutum limpidissimum acquiritur per studium. Baldevinus igitur annis infantiae suæ lapsis scholasti-

cæ disciplinæ magistris moribus, virtutibus, atque artium litteris imbuendus tradebatur; à quibus ipse usque ad annum nativitatis suæ decimum tertium in Hannonia cum sua matre in comitatu Luczelinburgensi existens suis in puerilibus informabatur, & suos coëtaeos in litteratura excellens, quia limpidiore pollebat ingenio, promptior habebatur. Fuit Parisius circa quinquennium, logicam & philosophiam audiendo. Deinde scholas per biennium dimisit propter guerras inter Francigenos & Flandrenses existentes, quando in Curtray flos Francigenarum occubuit per Flandrenses. Duobus sollemnibus cum magistris magnæ litteraturæ viris, camerariis, domicellis, nobilibus ejus statum condecensibus Parisiensi studio fuerat destinatus; ubi omnium artium principia terminosque substantiales, studio inhærendo frequentissimo, memorialiter retinebat, Arabicis arithmeticisque figuris scribebat, & astronomiæ insudando spheram addiscebatur. Specialiter tamen juris canonici studiis frequenter insistebat, & in iis usque adeptionem

* f. baccalau-
reatus

* artus noscitur perdurasse. qui fuerat annus dominicæ incarnationis millesimus tricentesimus septimus. quo etiam anno in Archiepiscopum Treverensem fuerat postulatus, ut superius sufficienter est expressum. Nemo ergo existimet me hîc aliqua superflua tumescentis animi ambitione posuisse, cum sine eis meram historiæ veritatem nequam potuissem expressisse. Nunc igitur revertar ad propositum, Deo trino & uno gratiarum referendo actiones.

CAP. IX. *De pacis & justitiæ observatione.*

Lucet ceteris clarius qui est virtutum floribus moribusque adornatus. Sicut ergo lux solaris tenebrosis interpositis nubibus, quin diescat, nequit occultari, sic morum ejus vita virtuosa, ut

laticescat, à nullis poterit offuscari. Generali enim fama volutante reformator & conservator pacis & justitiæ fuisse perhibetur. Nam pacis terræ amicissimus conservator, raptorumque fuerat horribilissimus extirpator, quos sua magna cum prudentia subjugavit. Nam plurima castra & fortia juxta prædonum fortalicia, per quæ ipsi jugiter tamquam obsessi habebantur, malis eorum gratis funditus ædificavit, & sic eos ad pacis observantiam, quantumcunque magnos, violenter coartavit. Et rem memoriæ dignam hîc duxi interferendam, ut hîc enarratis testimonium adhibeam veritatis. Frederico de Numagen domicello, qui à mercatoribus Mosellæ alveum descendentibus non rapinam sed cautionem, ut ipse asserit, receperat pigneralem sui castri, sub obtentu districtissimè demandavit ne Treverensem exiret civitatem, in qua tunc erat, nisi conquerentibus cuncta ablata priùs restituisset. quod præceptum celeberrimum productum fuerat ad effectum. Et sic defensor mercatorum, amator bonorum, exterminator iniquorum rigidissimus, in judicio justissimus habebatur. Nani proprium occultæ nationis fratrem, qui propriam uxorem occultè interfecerat spe solemnioris, optimo licèt ab Archiepiscopo pro fratre esset reputatus, supplicio rotali interimere permisit. Et sic nemini parcendo, cunctos maleficos timore perterritos suis procul à finibus fugere compellebat; ut sicut Salomon sapiens & pacificus dignè potuerit appellari.

Vide Spon-
dan. ad an.
1354. §. 12.

CAP. X. *De ejus vita & conversatione.*

Iustitiæ pacisque iste conservator, vitæ venerandæ conversationisque fuerat gloriosæ. Nam in cibo potuque capiendò moderatissimus habebatur, omnia statuta jejunia & quamplurima alia sæpissime observando, horas canonicas multasque privas

ras orationes devotè orando, castissimè vivendo, omni verò die Missam celebrando, aliàmque audiendo, solitarius otiositatis tempore existendo, studio frequentissimè insistendo, suæ Ecclesiæ privilegia sæpius perlegendo, fugiendo vitia, nunquam otio vacavit alieno. Cum magnatis magnificè, cum mediocribus mediocriter, nulli subditorum nimis familiaris existendo, honorificè incessit, sciens nimiam familiaritatem contemptum generare, pauperum causas defendendo, vanis & mulierum spectaculis ludisque illicitis se rarissimè immiscendo, causas subditorum & discordias sedando & prudenter terminando promptissimus est inventus. Nunquam etiam aliquod negotium dimisit indiscussum. In incessu, dictis & factis, veridicus, stabilis fuerat, & semper seriosus. Tempore verò jocunditati opportuno suæ juventutis occultis cum suis militibus, capellanis, & camerariis, domicellis, velut eorum minimus, dicens, Episcopalem dignitatem suspendimus ad parietem, nunc superior, nunc inferior, socius jocundissimus currendo, saltando levissimus, lapidem ceteris præjactando, eos viribus fortissimus præcellere cernebatur. Nam tanta fortitudine pollebat quòd domo Abbacensium in Piguia famulum cursitanti equo insedentem cum equo ad terram velociter dejecit. Aliquem quoque nimium laudari aut ullo modo vitari noluit aliquo modo tolerare. Nam carminum recitatorem de inebriationis verbositate in Dominum Henricum tunc Coloniensem Archiepiscopum turpia proferentem, licèt dictus Henricus tunc sibi capitalis esset inimicus, viriliter reprehendit, dicens: Vade tu miserrime, non licet te Dominis turpia recitare. Etiam rancoris materia inter eum & cives Treverenses fuerat exorta. Nam cives tempore Dyetheri sibi aliqua Ecclesiæ jura illicitè usurparunt. pro quo Dominus

Baldevvinus nimium offensus, guerram cum eis habiturus, primo anno creationis suæ Treverim exivit, sed Dominus Vvalramus hoc intercipiens, concordiam ordinavit, jura Archiepiscopi & Ecclesiarum validè conservando, ut in litteris hinc inde datis continetur. Suis etiam hostibus guerrarum tempore tyrannicus fuerat inimicus, quos tamen nunquam aliquo aggrediebatur odio; pace reformata cunctis dimittens veniam postulantibus, ut ei omnipotens dimittere dignaretur.

CAP. XI. *De ejus provisione.*

Nobis ejus facta insignia provisionis lucidissima dant exemplaria providè vivendi. Nam nunquam aliquid ad sua utensilia vel victualia comparavit tempore cariori. Omnia enim sua castra & domicilia vino, blado, pabulo in annum de anno, velut Ioseph in Ægypto, congregatis & verè ultra numerum multiplicatis redundabat; quæ tamen tempore caristia suos per officiatos suis subditis indigentibus, & cautionem præstantibus ut tantum in novis futuris persolverent fructibus quantum de antiquis reciperent, nihil ultra requirendo, misericorditer dispersit; & sic suos subditos in suis possessionibus jugiter conservavit. Discreta etiam provisione omnia Ecclesiæ suæ privilegia, primò papalia, secundò imperialia, tertio homagialia & alia perpetua, timens amissione distractionem, antiquorum cereorum fragilium sigillorum propter diurnalem revolutionem, privilegiorum fracturam dispendiosam multumque damnosam posse posteris imminere, in unum volumen congregando & transcribi mandando utiliter ordinavit, & illud triplicavit, unum suæ Ecclesiæ Capitulo & capitulari loco, aliud suæ & successorum suorum cameræ Treverico in palatio, tertium verò suorum & successorum suorum feriato semper Camerario ad

omnia & singula quò diverteret loca devehendum providè deputavit, ut in omni loco Archiepiscopus posset sua homagia, litteras, & privilegia saltem sub copia providere, necnon unicuique dum opus esset recitare: Hoc & hoc à nobis in feodum dinosceris habere. Et omnium Ecclesiarum suarum collegia ad sua privilegia ostendenda, ut in ista scriberentur volumina, districtissimè coartavit; & quotquot erant sibi ostensa, quæ tamen sub bullis apparere veris, inscribi verbo tenus procuravit; ut si in posterum aliqua privilegia rapinis, incendiis, antiquitate consumpta, seu malæ custodiæ deputata, vel quocunque modo perderentur, in prædictis voluminibus perpetua memoria perdurarent. Sic ergo velut Ioseph providissimus habebatur. Vivant igitur ejus provisionis insignia in secula seculorum.

CAP. XII. *De ejus familia promotione.*

Baldevvinus iste tanto vixit tempore quòd omnes Ecclesiæ suæ diocesis prælaturæ necnon beneficia ad ejus collationem spectantia sibi vacavere; quibus in personis idoneis, ut pervigil pastor, noscitur providisse. Legistas etiam, Canonistas, Physicos, Artistas, Philosophos, Capellanos, Clericos, laicos etiam multos, Milites, nobiles, domellos, aliosque ministeriales numero multum valde multiplicatos, suo ministerio deputatos decenter sustentavit; quos omnes & singulos, alios Archidiaconos, quosdam Præpositos, nonnullos Decanos Scholasticosque præbendatos, Canonicos & Pastores fieri procuravit. Nam de tam excellente magnatorum progenie exstitit oriundus quòd nullum habuit affinem seu cognatum quem ad præposituram majorem vel aliquem Archidiaconum vellet promoveri. Vnde Iofridum in majorem Præpositum, alterum verò suorum pædagogorum in ma-

jorem Decanum sublimavit. Clericos suos variis beneficiis providendo, laicos verò solemnissimè uxorando, possessionibus, domibus, agris, vineis in perpetuum allodium eis distributis, ditissimos faciebat. Quid plura? Nunquam aliquis ejus licet in parvulo diù morabatur servitio quin rebus & honoribus fuisset multipliciter honoratus. Vnde dignè possum dicere: *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Vivat igitur memoria perenniter meritò recolenda nunc & semper per infinita secula seculorum. Amen.

Explicit liber primus gestorum Domini Baldevvini de Luczenburch Archiepiscopi Trevirorum, tractans de ejus vitæ generalitate.

INCIPIT PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

VOx sapientiæ meis intonet auribus, ut intelligentiæ de durissima & vera petra, id est, Christo, valeam fugere, quò laborem inchoatum, mihi utique permaximum, possim adimplere. Cùm igitur hanc famosam historiam dicti Domini Baldevvini, quam de gestis fratris ejus serenissimi Principis Domini Henrici septimi Imperatoris Romanorum sic huc usque ulterius non possum separare, quia ipse Dominus Baldevvinus dicti Imperatoris ad imperialis apicis dignitatem acquirendam collateralis noscitur extitisse, & gloriosi historiographi, magnæ literaturæ viri, quoniam non esset dignus pedisequus appellari, eam historiam amborum gestis indissolubiliter conglomeratam cernuntur minimè scriptitando, proh dolor, præterire, ego tamen, cùm sim scriptorum minimus, hanc historiam perpulchram tam turpiter evanescere nebulosis ignorantiae tenebris involutam

non possum aequaliter tolerare, juxta illud:

Scribimus indocti doctique poemata passim.
licet plures æmuli livore nimio conglobati grandia verba trutinantes, tumidis suis latratibus dentibusque detractoriis me studeant dilaniare. quod tamen duxi patienter sufferendum. Nam patientia malitiam legitur sapissime superare. Propono ergo pro meis viribus quantulumcunque parvulis istam perscribendo historiam perseverare: quia secundum Gregorium, si non possum garbam integram ad horreum importare, non debeo tamen vacuus remeare. unde quod potero faciam, scriptorum vernula fiam. Quomodo ergo scribendo incipiam? Materia enim signata est & clausa, & quis aperiet mihi? Recordor vocis illius qui dicit: *Perite & accipietis, pulsate & aperietur vobis.* Habentem ergo clavem David rogitabo ut me in cellam ducat vinariam, ubi flabit ejus spiritus sapientiæ & intellectus, & fluent aquæ dulcedinis. Ibi de fontibus Salvatoris limpidissimum intellectum hauriam, quo hanc historiam ei ad laudem, Treverensi verò Ecclesiæ ad honorem, Domino Baldevvino ad favorem valeam trecto tramite pertractare, qui est æternus, trinus & unus Deus.

EXPLICIT PROLOGVS SECVNDI LIBRI.

CAP. I. *De Henrici VII Romanorum Regis electione per Dominum Baldevvinum procurata.*

Regalis dignitatis celsitudine regni Romanorum per lamentabilem mortem quondam Alberti Regis non modicam disturbata, Dominus Baldevvinus aliique sex coclectores villam Rense inter Confluentiam & Boperdiam sitam, ubi ex antiqua consuetudine ad tractatum de electione habendum

confueverunt convenire, concorditer diverterunt; ubi anno Domini millesimo tricentesimo octavo gratia summi spiraminis cooperante, & Domino Baldevvino id procurante, in ipsius fratrem Dominum Henricum Comitem Luczelinburgensem in futurum Romanorum Regem eligendum suis exigentibus meritis communiter concordarunt. Exigentibus dico suis meritis. Fuit miles imperterritus, in armis strenuus, hastiludiorum & torneamentorum à mari usque ad mare in juventute semper quæsitivus, in quibus inter ceteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, gloriosior habebatur; iudex iustissimus, pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promptissimus defensor, raptorum, malefactorum, tyrannorum rigidissimus exterminator, semper illum gerens animum: *Iustè judicate filij hominum.* Omnibus enim fuit amabilis & benignus; in quibus tamen permixtam seriositatem judicalem, honorem & dignitatem, serenitatem, prudentiæ quoque & discretionis amœnitatem nullo unquam tempore eserebat. Virtutum & bonorum morum concatenationem optima cum temperantia jugiter retinebat, & se semper bonis moribus omnium in omni tempore insignissimè conformabat, omnibusque se ita sociallem & tractabilem præbebat cum intermixtione, ut dixi, officij & dignitatis ita quòd ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur; & tamen iis quæ sunt mundi mundo non segniter reddendo, non minùs quæ sunt Dei Deo noscitur reddidisse. Nam cum Domina Margareta sorore Iohannis Ducis Brabantia sua collateralis prædilecta ita continenter à tempore contracti matrimonij creditur vixisse quòd nunquam ad aliquam aliam adhuc post ejus obitum dicitur accessisse. Capellæ verò suæ ornamenta, missalia magni orna-

tus ac pretiosa, ad quæcunque loca perrexerat, adhuc Comes existens, suis cum somariis secum vehere faciebat, & omni die coram se & collaterali sua, quando aderat, suos * electos per cantores canticis cum musicalibus Missas & horas canonicas, impedimento non interveniente, sed præmittendo, celebrare solemner faciebat. In Missis verò audiendis horisque canonicis cum die dicendis maxima devotione pollebat, ita quòd suis sacerdotibus capellanis maximam devotionem dicitur præstitisse. His igitur virtutibus quia fuerat adornatus, meritò illud propheticum ejus debuit auribus insonare: *Specie tua*, quoad justitiam humanitatis & ad vitam activam, & *pulchritudine tua*, scilicet bonorum operum divinitatis & ad vitam speculativam, *intende prosperè, procede, & regna*. Vnde Dominus Baldevvinus aliique sui coelectores cum totius Almaniæ Principibus nobilibusque ipsum Franckenfort ad locum electioni deputatum duxerunt, & ibidem in Christi fidelium solatium cunctorum dominicæ incarnationis anno millesimo tricentesimo octavo, x x v i i. die mensis Novembris, in Regem Romanorum vivis vocibus concorditer elegerunt, & toti mundo ad monarchiam obtinendam in futurum Imperatorem promovendum unanimiter præsentarunt.

CAP. II. De ejus coronatione Aquisgrani, & consecratione.

Constantiæ maximæ probitatisque eximia Dominus Baldevvinus & alii sex Principes coelectores anno Domini millesimo trecentesimo octavo Dominum Henricum septimum Romanorum Regem ad auream regni sedem Aquisgrani per Karolum Imperatorem situatam adduxerunt. Ibi eum cives Aquenses, clavibus civitatis plusquam per leucam obviam portatis & traditis, in Romano-

rum Regem lætabundis vocibus receperunt, & ibi per Dominum Henricum Colonienſem Archiepiſcopum, quia in ejus conprovincia fuerat, installatus, & ipſo die Epiphaniæ Domini eodem anno ibidem in Romanorum Regem honorificè divinitus conſecratus, & unà cum ſua collateralis prædicta ſibi aſſiſtente in veſtitu deaurato varietate circumdata cum corona regni fuerat ſolemniter coronatus, & abinde ſolemniis curiis habitis Colonienſem civitatem regiam Rex ipſe fuerat ingreſſus, & tres Reges beatos Regis infantis Chriſti primos adoratores tribus pretioſiſſimis baldeckinis a * regiſtus etiam totidem oblatis auro gemmifque pretioſis ſuppliciter adoravit, & ad imperialem ibi aulam divertit, de qua Colonienſis Archiepiſcopus ipſi Regi, ut tenebatur, cedebat. Tres verò Præpoſiti Colonienſes, videlicet major Præpoſitus Archiepiſcopo Colonienſi, ſancti Cuniberti Præpoſitus Archiepiſcopo Treverenſi, graduum ſanctæ Mariæ Præpoſitus Archiepiſcopo Moguntinenſi, de ſuis curiis præpoſituris antedictis deputatis cedebant, ut antiquo jure tenentur. In qua præpoſitura ſancti Cuniberti Dominus Baldevvinus pro Eccleſiæ ſuæ jure conſervando aliquandiu morabatur; ſed propter nimiam diſtantiã ab aula non diù multùm perſeveravit, ſed ex oppoſita ſe ſecuriùs collocavit. Henricus verò Rex iſta vice non diù Colonia moram protraxit, ſed in ſuum comitatum remeavit, & ibidem illo anno cum Domini Baldevvini conſilio in regni gubernacula recipienda ſe prudentiſſimè præparavit. Iſto anno Dominus Baldevvinus ivit Hannoniam, & Tuyn reſemavit.

* Vox corrupta.

CAP. III. De ſecunda Colonia viſitatione Honorandæ diſpoſitionis proviſione facta, ad reg-

ni loca perlustranda ipse Henricus Rex unà cum Domino Baldevvino aliisque quampluribus anno Domini millesimo tricentesimo nono ante festum natalis Christi Coloniam secunda vice remeavit, & ibidem omnia sua feoda requirere volentes spectavit, præsidens iudicio sententias contra rebelles sua feoda non requirentes servato juris ordine promulgavit. De antiqua enim consuetudine in Regem Romanorum electus sine omni confirmatione habet & potest regalia ministrare, ut habetur xcvi. di. *Cum ad verum*, & cap. *Duo sunt*, & cap. *Si Imperator*. xciii. di. cap. *Legimus*. super hoc verbo *Imperator* in glosa Hic gaudia gaudiis cumulantur, hastiludia continua choreæque solemnes celebrantur. Ibidem continuè ipse Rex cum Principibus & nobilibus totoque vulgo specialiter in die natalis Domini solemnissimam habens curiam convivendo festinavit. Isto tempore fuit frigus per maximum, cujus æquiparantia à nullo tunc vivente potuit recordari. Ibi etiam Rex à Coloniensibus huldæ acceptavit, eorūque privilegia renovavit & confirmavit. Regem verò Colonienses multis muneribus honorarunt. Ex deinde Confluentiam divertens, ibi Treverensis Ecclesiæ theolonij privilegium perpetuò duraturum precibus Domini Baldevvini inclinatus favorabiliter indulgit anno Domini millesimo tricentesimo nono * die mensis Februarij, regni verò ejus primo. Sed hic à Domino Baldevvino rogatus civitatem Treverensem, quam prius ob injuriam & offensam condignam ab ea sibi injuriosè sæpius illatam ante regni adeptionem hostiliter obsedit, nunc amicabiliter visitavit.

CAP. IV. *De nundinis per Baldevvinum Treverensem impetratis, & Regis recessu.*
Auctor ab augendo tam suæ Ecclesiæ redditus

H ij

quàm civitatis honorem patriæque meliorationem iste Baldevvinus meritò appellatur. Nam Ecclesiæ suæ redditus ultra quod invenit verè duplicavit, territoria & homagia, ut postea tractabitur, multipliciter ampliavit, civitatis & terræ augmentationem, si cives grater acceptassent, quamplurimum procuravit. Nam etiam à fratre Henrico Rege nundinas nundinarumque libertates, ut Frankenfordienses habent, quando eis expirant, videlicet à nativitate beatæ Mariæ Virginis usque in diem beati Remigij in capite Octobris duraturas, civitati Trevericæ ob ejus & circumjacentis terræ meliorationem donari & indulgeri sub sigillo regio impetravit. quam nundinarum libertatem Treverenses saltem circumquaque proximam per leucam, ut dicitur, eis bannitam observare & defendere recusarunt. Vnde talis benivola impetratio & utilissima esse noscitur frustrata. Inde Rex cum Domino Baldevvino comitatum Luczenburgensem ingressus, solatiis plurimis insistendo, ad civitates regias visitandas easque regno coadunandas se quamplurimum disponebat.

CAP. V. De Iohanne ejus nato in Regem Bohemiæ creato.

Regum Almaniæ sepulturæ civitatem deputatam, id est, Spiram, deinde ipse Rex cum Domino Baldevvino aliisque multis Principibus & nobilibus divertebat; ubi feodalia feodalibus in feodum condonavit. Et etiam ibidem iis diebus Rex Bohemiæ Vvenczelaus, relicta tantundem filia, sine masculino successore hereditario, exstitit sublatum. Per cujus decessum Bohemiæ regnum Regi Romanorum noscitur vacavisse; cujus filia, Elizabeth appellata, propria in persona Spiram veniens aures Henrici Regis cœpit interpellare ut de ipso paterno Bohemiæ regno in feodum donando sibi

dignaretur providere. Rex verò cum Domino Petro Moguntino Archiepiscopo & cum Domino Baldevvino consilio inito Iohannem filium eidem Elizabeth matrimonialiter copulavit, & eundem in Bohemia Regem gloriosius sublimavit; & ibidem sollempnibus nuptiis celebratis, eos ambos Domino Petro Moguntino & Domino B. de Hennenberch multa potentia eis ambobus Bohemiam destinavit. Et sic ipsum regnum Iohannes Rex pacificè est adeptus, & ibi gloriosissimè regnum regnavit, & sibi resistentes prosternendo, ut postea habetur, Domini Baldevvini adjutorio invictissimè triumphavit

CAP. VI. De Adolphi & Alberti Regum per Henricum facta translatione.

Custodia tota adimplevit legis mandata operaque caritatis. Nam duos suos antecessores Reges Adolphum & Albertum de loco sepulturæ Regum Almaniae deputato multùm remotæ terræ commendatos ecineravit & relevavit, & per plures Episcopos & Abbates multosque Clericos tam seculares quàm religiosos cum cereis infinitis cultibusque sumptuosis Regum funeribus dignè deputatis & deputandis Spiram adduci & transferri cultu regio procuravit; & ipse Henricus Rex funeris Adolphi, eò quòd essent de eadem linea consanguinitatis, cum multis Ducibus, Baronibus, Militibus, aliisque nobilibus & ignobilibus caterva non modica ad quamplurimam distantiam incessu pedum gradiendo obviavit, & lamentando, *Quomodo ceciderunt inclyti*, Christum Domini acceptavit; & eodem die anno Domini millesimo tricentesimo nono, regni verò ejus primo, amborum exsequias in Spirensi Ecclesia devotè celebrare per Episcopum Spirenssem procuravit, & ut olim Tobias, eos juxta alios antecessores Reges sollempniter collocavit.

CAP. VII. De Domini de Vvирtenberch
expugnatione.

Humilium sicut Henricus fuerat exaltator, sic
superborum rebellantium existit rigidissimus ex-
stirpator. Nam cum ipse Henricus se ad Alpium
montana transcendenda prepararet, Dominus de
Vvирtenburch se ipsi Regi tyrannicè opposuit. Prop-
ter quod ipse Rex Dominum de Vvinsberch pro-
vincialem Advocatum præfecit, & omnibus illa-
rum partium regni fidelibus, Castellanis, & civita-
tibus districtissimè præcepit ut sibi tamquam suo
vicario in omnibus intenderent & obedirent &
ejus jussionibus per omnia parerent. Qui Regis
ad præceptum cum fidelibus regni & civitatibus
dictum Dominum de Vvирtenberch armis bellicis
faviter persequendo suo in territorio, in locum de
loco fugere coartavit, & ejus quadraginta tam-
oppida quàm castra viriliter expugnavit, & ad ta-
lem interneccionem deduxit quod tantum terrun-
culæ vix poterat obtinere quod vitæ necessari-
valeret, pauperiem vivendo aliqualiter habere.
Eodem anno Domini millesimo tricentesimo deci-
mo Dominus Baldevvinus in Treverim existens
se ad Alpium montana transcendenda quampluri-
mum preparavit.

CAP. VIII. De via Lumbardia arreptione

Iustitia & judicium correctio sedis ejus, Hen-
ci Regis. Nam ipse in Spira præsidens judicio con-
tra Iohannem de Austria dictum Sunderlant iusti-
cialiter vocatum & juris ordine damnatum, qua-
suum antecessorem Albertum Regem Romanorum
callidè interfecerat, sententiam sanguinis districti-
simè promulgavit, & deinde ad Alpium montana
transcendenda iter arripiebat. Eodem tempore Do-
minus Baldevvinus de Treverim per Erunberg
anno videlicet millesimo tricentesimo decimo, fe-

ria post exaltationem sanctæ crucis, & per Zaurin in Hanheyn divertit, ubi sibi Iohannes Rex Bohemiæ & Regina obviaverunt; quos amicissimè salutando & sumptuosè convivando, eos & Dominum Petrum Moguntinensem Archiepiscopum & Dominum de Hermenbergh Bohemiam euntes in die beati Mathiæ valefaciendo, currum cum auro & argento maximè onustum secum ducendo, Columbariam devenit, ubi Henricum Romanorum Regem fratrem maximo cum exercitu invenit, & ibi ipsi Regi permaximæ pecuniæ summam favorabiliter mutuavit. Deinde per Molenhusen, Slestat, Falkensteyn, Solectet, ubi Comes de Sabaudia obviam venit, Bernam cum gaudio intraverunt. Ibi in die sancti Michaëlis sunt recepti, ubi & se requiei securissimæ subdiderunt.

CAP. IX. *De obitu Comitis de Sarverden, & Alpium transcensione.*

Episcoporum, Clericorum tam secularium quàm religiosorum non modica caterva congregata, Dominum Iohannem de Sarverden Comitem ibidem anno Domini millesimo tricentesimo decimo feria secunda post Remigij obdormientem, ejus celebrando obsequias, lamentabiliter tumularunt. Deum per * mortem Losanniam, Leori, Genevæ, * f. montes Hactevillæ, Schameleri, & per sanctum Michaëlem, Modanam, Lengenburch, & Transmorthenis monte, tamen maximo cum labore & periculo, aliquo tamen sine damno, transcendendo, ipse Dominus Henricus & Baldevvinus exercitu cum maximo xxiv. die Octobris Susam Italiae civitatem primam honorificè intraverunt, & per sex dies ibi quiescentes moram pertraxerunt. abhinc per Fivilianam in feria sexta ante omnium sanctorum Turin devenerunt, & ipsum festum & memoriam omnium animarum ibidem peragendo per octo dies

continuos permanserunt. Hinc per Kir euntes, in crastino beati Martini Ast appropinquaverunt, ubi cives multum ornati exeuntes, claves civitatis Regi obviam portaverunt, ipsum cum Domino Baldevvino Archiepiscopo & Vvalramo fratribus, Ducibus Sabaudis, Comitibus, nobilibus, Militibus, Regina cum Dominabus sollemnissimam & sumptuosissimam habendo curiam jucundissimè festinarunt, & ibidem triginta diebus continuatis multis insistendo solatiis, conviviiis, hastiludiis unanimiter perdurarunt.

CAP. X. *De triumpho in Mediolano obtento, & ejus coronatione.*

Persecutor omnium iniquorum iste Baldevvinus unà cum Domino Henrico Rege & aliis numero infinitis institit per Casile, Vercel, Novarre, & per Gargente, civitati Ambrosianæ appropinquabat, de qua cives ipsi Domino Henrico Regi obviam erumpentes, ipsius Mediolanensis civitatis claves plusquam per leucam offerentes, ipsum in Regem Romanorum & Dominum suum humiliter receperunt. Et sic Mediolanum anno Domini millesimo tricentesimo decimo, feria quarta ante natale Domini, strenuissimè intravit: ubi Guido de Turri, sicut sibi vice comitatum ibidem, Mapheo Vicecomite de eo potentialiter ejecto, nequiter usurpavit, ita etiam Domino Henrico ingressum suum ibidem in palatium fatuissimè denegavit. Dominus verò Baldevvinus ipsius civitatis portam Romanam vel Ambrosianam appellatam intrans, sua sub clausura conservavit, claustrum sancti Ambrosii inhabitavit, & Dominica sequente cum Leodiensi Episcopo, Lupoldo Duce Austriæ, Vvalramo fratre, Dyetardo de Catzenelenboege Comite, Henrico de Spaynheim, Domino de Hufelis, & aliis multis lætantissimè convivavit. Et ibidem dictus

Vide Alb.
Maffatum lib.
1. de vita
Henrici VII.
c. 10. & Vll
lanium lib. 2.
cap. 2.

Dominus Henricus Rex sequenti die Epiphaniæ Domini in sancto Ambrosio à Mediolanensi Archiepiscopo unà cum sua Regina corona ferrea adinstar lauri margaritis pretiosis perornata, de calybe tamen per ipsum Henricum Regem cunctis successoribus facta, eò quòd corona Regum antiqua ex negligentia esset amissa (nam à nullo Regum de tempore Frederici Imperatoris fuerat requisita) gloriosissimè exstitit coronatus, permaximo insedens palefrido, famulis præcedentibus & sequentibus & in lateribus, tamen à remotis, equitantibus, sub teleo pretiosissimis sametis purpureis & baldexinis facto, aliisque famulis, saccis apertis, pecuniam non modicam videlicet Venetianos imperialibus admixtos extra viam proicientibus, quam totus colligens populus, viam patefaciendo, suum ibidem in palatium pacificè & gloriosissimè est ingressus. Et amici Guidonis de Turri multis vicibus armaverunt se, & imperiales similiter. Post hæc meridiano tempore, regnante solis ardore, quo homines solent fervorem declinare & dormitando membris quietem ministrare, filij Guidonis de Turri aliis cum infinitis proditoriè Regem occidere toto conamine laborarunt. sed hoc avertēbat numen divinæ bonitatis. Nam Lupoldus Dux Austriæ de campo quo equitaverat causa spatandi, per vicum illorum de Turri fuerat reversus; in quo maximos strepitus rixosos equorum frequenter audiebat, cum hinnitibus eorum, per unam portam casualiter apertam armatorum multitudinem respiciebat. Qui statim suos suo remisit hospicio, ut omnes Theutonicos excitarent, congregarent, & se occultè ad prælium cum eis commiscendum festinantissimè præpararent. Ipse verò versùs palatium equitavit, Regem excitavit, & causam sui adventus indicavit. Qui statim Domino Baldevvino man-

vide Mussat.
ibid. c. 12.

Vide Mussat.
lib. 2. c. 4.

davit quòd suos coadunaret & se armarent & portam civitatis quam inhabitavit non exiret, sed eam non segniter observarent. Ipse verò Rex sua speciali cum familia suum palatium firmiter custodivit. Hinc ille probissimus de Austria Lupoldus se celeriter præparavit, & cum suis & aliis pluribus inimicos acriter invasit. Hic clamor multorum, sonitus tympanorum, resonantia fistularum ascendit in altum. Ibi proditores prosternuntur, jugulantur, occiduntur. Plurima corpora exanimata in vicum crudeliter jaciuntur. Ibi ab Almanis rigidissimè præliatur & rigidissimè triumphatur. Hic proditorum domus publicantur, spoliantur. aurum & argentum omnisque cultus pretiosus à Bononibus distrahitur. Hic insiliens aurum, ille argentum, hic vestes, illéque utensilia avidissimè rapiabant. Tres vel quatuor vestem unam vel baldekinum rapientes pretiosum, à laceratione quilibet frustrum retinendo, sæviter laceraverunt. Quid plura? Tot ibi sunt Bonones rapina ditati repatriantes quòd ultra mensem plusquam Bononum duo milia in exercitu deficere videbantur. Ipse Guido hoc factum intelligens, sui que filii, in quoddam castrum extra civitatem rapiendo fugam turpiter evaserunt, ubi eos Rex obsidere faciebat. Sed ipse Guido inde, occultè tamen, recedendo dicitur evasisse. Filij tandem castrum in manus Regis donando & totam terram perjurando noscuntur recessisse. Et ecce laqueum proditoriè paraverunt, & eundem miserabiliter inciderunt.

C A P. X I. *De privilegiis impetratis, & Subcancellarij concrematione.*

Impiorum extirpatione facta, Dominus Henricus Rex Romanorum unà cum Domino Baldevvino in Mediolano præsidens iudicio mortis sententiam contra Guidonem & filios & fautores

horribiliter fulminavit, & inimicorum ædificia, turrets, mansæola publicavit, & ad terram dei- cendo funditus extirpavit. Hic Brixienfes per suos legatos se Regi subdiderunt, quibus Rex Th. Bri- fach Capitaneum & Vicecomitem, accepto ab eo fidelitatis juramento, præfecit. quod tamen postea in suam damnationem, ut patebit, perfidissimè vio- lavit. Hic Dominus Baldevuinus privilegium per- petuè duraturum ab Henrico Rege Trevericæ Ec- clesiæ super theolonio Confluentino anno Domini millesimo tricentesimo undecimo, regni ejus ter- tio, nonas Februarij utilissimè obtinuit, quod pru- dentissimè impetravit. Hinc Rex unà cum Domi- no Baldevvino Papiam est ingressus, & huldam re- cepit, & postea Mediolanum remeavit. Quodam igitur die, cum Rex in secreto suo esset silentio, quidam Miles festinanter in hæc & his similia pro- rupit verba. Cur Rex tua crudelissima in Theuto- nicos indignatio exarsit furiosa? Cur omnes tam innocentes quàm reos tua occultissima & vehe- mentissima damnavit sententia? Obsecro, si non vis reis, ut tamen innoxiiis pietate regia miserea- ris. Recordare quòd propter te exilia patiuntur, & parce his qui pro tuo amore laboribus & peri- culis continuè subduntur. Rege verò non modicum perterritò, & quidnam hoc esset sciscitante, fer- tur respondisse: Inferior tuus Cancellarius, quem titulo militari decorasti, quamplurimas scripsit lit- teras regio sigillo minori tam sigillatas quàm si- gillandas, cunctis Lombardiæ civitatibus destinan- das, isto sensu contextas, ut tuo regio ex præce- pro uno & eodem die ipsis litteris intitulato om- nes Theutonici capiantur, & omni mora postpo- sita celerrimè interficiantur. Quæ Rex audiens, nuntios secum misit, qui eum Cancellarium cum litteris ceperunt & vinculativæ custodiæ addixe-

runt. Qui captus, statim confitebatur se hoc in Regis necem fecisse, & propter hoc in ejus servitio perstitisse, & se sæpe Regem tractavisse, & si sibi opportunitas potuisset occurrisse, se ipsum Regem interfecisse, eò quòd cerneret omnes Gelfinos omnimodè fore destruendos & eos de Turri interficiendos, de quorum linea consanguinitatis esset oriundus, & quòd sex caratas albi vini infecisset, & Theutonicis causa incoxicationis potandum dedisset. Tandem eum Rex cremari & ossa ejus in cinerem redigi imperavit. Et sic in cinerem redactus, in quadam civitatis planitie hanc vitam miserabiliter terminavit. Et hinc per Laude, Creme, & per Surisim, Poerne & hostium turres & ædificia totaliter destruendo, Cremoniam divertit; & ibi cum Domino Baldevvino præsidens judicio, portas & turres ejus ad internecionem deduxit, & leonem deauratam effringendo totaliter destruxit. Et abhinc per Quintay Pompian cum exercitu permaximo Brixiam obsidione circumsepsit, & montem in cujus pede situatur, ejus exercitus ex utraque incendio destruxerunt anno incarnationis dominicæ millesimo tricentesimo undecimo, in vigilia Ascensionis ejusdem, quæ fuerat xix. die mensis Martij, regni verò ejus tertio. Terra enim in conspectu ejus noscitur siluisse.

CAP. XII. De Th. Brisach interempto, & Brixia expugnatione.

Sollicitudo cordis Henrici Regis fuit, omnia imperialia ad jus & proprietatem imperij revocare. Vnde Brixiam rebellantem, quam hostiliter obsedit, bellis permaximis crudeliter sæpissime invasit. Nam quodam die Brixien ses armati exivere, cum quibus Regis & Baldevvini exercitus cœpit bellum commiscere. Hic tubarum clangore, popularumque vociferatione, in aërem pulveris eleva-

Joa. Villan.
lib. 9. c. 15.
Muffat lib.
3. c. 4.

tione, crudelissimâque interfectione, bellum ma-
 ximè fuerat aggravatum. Partes Regis viriliter in-
 sistunt, illi acriter resistunt; hostiliter isti impel-
 lunt, illi viriliter repellunt; hic trucidatur, ille
 perforatur. Quid plura possum referre de parte
 Regis? Oprat quisque mori, nisi bellum cedat ho-
 nori. Ibi multi Brixienfes fuerunt interfecti, &
 ille fax militiæ, procurator perfidiæ, Th. Brisach,
 aliis pluribus in civitatem turpiter fugientibus,
 exstitit captivatus. Contra quem Rex mortis sen-
 tentiam proferebat, & caput sibi amputatum su-
 pra miræ altitudinis hastam infigebat; corpus ve-
 rò in quatuor partes divisum supra quatuor rotas
 stipitibus infixas dignissimè locabatur. Post hæc,
 dum Dominus Vvalramus frater Regis & Domini
 Baldevvini germanus exercitum circuiret, emissa
 de muro sagitta, ad colli & humeri conjunctionem,
 sumptis sacramentis, verus ut catholicus, viam
 universæ carnis est ingressus; quem in Verona di-
 versis cultibus funus ejus condecensibus lamentabi-
 liter tumularunt. Postea aère ibidem corrupto plures
 moriebantur. Tandem Brixienfes, consilio inito, e-
 exercitum Regis invadere nocturnali tempore calli-
 dè disponebant, & apertis portis exilientes in monte,
 balistariorum validis exortis clamoribus, tentoria
 incenderunt, quos partes Regis imperterritè petie-
 runt congressione præliali. Hic fortissimum cõmit-
 titur bellum, hinc clypei galeæque acriter percussi re-
 sonantiæ sonitum referunt in cælum, hinc illatis
 ictibus immensis enses reverberat enses, undique
 rigidissimè bellatur, belli fortuna vagatur, ab utrif-
 que permaximus auditur tumultus, seu Theutoni-
 ci fugere nescij tot tot occiderunt, & residui in ci-
 vitatem fugerunt, & paulò post omnes Brixien-
 ses se Regis gratiæ capistris propriis collis impo-
 sitis submiserunt anno Domini millesimo tricente-

Thedaldus
 Brusciati *Vil.*
lan. lib. 9.

6. 19.

Villan. lib. 9.
c. 19.

fimo undecimo, feria quinta post festum Matthæi, Tunc Rex civitatem, muros & portas funditus destruere, fossata planitie terræ præcepit adæquare; & sic Brixiam, tamquam villam patentem, per fossata planaria, non per portas, intravit; & in ea unâ cum Domino Baldevvino iudicio præsidens, omnes ejus munitiones radicitus extirpavit; & deinde per Soruyn, Cremonæ, Playsente, Castell sancti Iohannis, Pamenogie, Cortone, Saraval, Gaio, Tridentum, Ianuam divertit. Cives Ianuenses claves civitatis offerentes obviantes venerunt, juramentumque fidelitatis præstiterunt, & ipsum in Regem Romanorum suumque verum Dominum unanimiter receperunt

CAP. XIII. De obitu Regina, introitu
Romæ, & Quatuor Coronatorum inhabi-
tatione.

Muffat. lib.
5. c. 4. Vil-
lan. lib. 19.
c. 27.

Causarum multarum expeditione facta Ianuæ, Domina Margareta Regina cœpit multum ægro-
tare, & infirmitatis crescente molestia, ducta fue-
rat ad extrema, & suo spiritum qui condidit il-
lum reddidit creatori. Hic dolor Regis intima cor-
dis læsit vitalia. Nam cum ea ut turtur castissimus
cunctis vixerat temporibus. O mors truculenta,
quid fecisti! Cur lunam de mundo sustulisti? An-
tea sol & luna lucem dederunt unâ. Nunc sol
solus sine luna. Hinc ejus sollemnissimæ paraban-
tur exequiæ. Luctu maximo & lamentatione cor-
pus ejus conditum aromatibus ibidem apud Mino-
res decentiùs per Episcopum & multos nobiles ter-
ræ fuerat sollemnissimè commendatum, multisque
miraculis divinitus ibidem coruscabat, anno Do-
mini millesimo tricentesimo undecimo, [die xii.]
mensis Decembris. Abhinc Rex eodem anno xiv.
die Februarij per mare navigio per portam Vene-
ris portui Pisano applicavit; & in sexta die Martij

Villan. lib.
9. c. 36.

Pifanam adiens civitatem, clavibus civitatis sibi obviam portatis, & juramento ab eis recepto fidelitatis, ibidem aliquandiu decrevit permanere. Tunc ante Lucam plurimos probitatis viros maximo cum exercitu destinavit, qui cum eis multa prælia durissima strenuè commiserunt, & circumquaque plurima castra & fortalitia vi expugnando viriliter ceperunt. Deinde Rex cum Domino Baldevvino & aliis multis xxiv. die Aprilis per Raufegonem, Bibone, Campillo, Castellion, transeundo aquam Grosset, & per Admesiam, Montabor, Vitribeum, & per campos de Bakenvelle transit

* Pontinole per ante turrin Tripezon, de qua plurimi fuerant sagittati, anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo Nonas Maij Roman strenuissimè fuerat ingressus; ubi Rudolphum Ducem Baviaræ cum aliis multis nobilibus insignivit titulo militari. Et intrans ad sanctum Iohannem Lateranis, orationem multum humilem & devotam suo oraverat creatori. Et dehinc divertens ad locum

* Militiis appellatum, & ibidem multo tempore habitavit. Et ipso die Pentecosten cum tribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, & universis incedens & comedens, coronandus in palatio Nevoriano sollempnissimè festinavit. Dominus verò Baldevvinus cellam Quatuor Coronatorum ad Archiepiscopi Treverensis habitationem, cum Romam venerit, pertinentem intravit, & eam ad suæ Ecclesiæ Treverensis proprietatem pertinere ad memoriam revocavit utiliter. Eo ibi existente, omnia beneficia ibidem vacantia habet conferre Præpositus.

CAP. XIV. De Capitolij triginta turrium
& monasterij Minorum expugnatione.

Omnia inimicorum suorum dominabitur. Nam suus & Domini Baldevvini exercitus Gelfinos im-

* Ponte Emulo. Villan lib. 9. c. 39. Pontem qui Molis dicitur. Mussat lib. 8. c. 1.

* De palatiis militiarum; Mussat. lib. 8. c. 7. Castrum quod Militia dicitur. Albert. Argentin.

perij inimicos se in monasterio Minorum, in Capitolio & diversis turribus Romanis resistendi causa observantes rigidissimè invaserunt, muros petierunt ictibus, sagittis, eos capere acriter laborarunt; & illi non segnes tela & lapides desuper pluentes, illos obruentes, istos ferientes, se multipliciter defenserunt. Tandem Theutonicorum exarsit animositas furibunda, qui viriliter muros transcendebant. Istos occiderunt, hos præcipitaverunt; & sic hoc monasterium cum violentia ceperunt. Eodem modo Capitolium invadentes, nec tela nec lapides timentes, plurimos invenientes audacia cum maxima tyrannide ascendentes, & ipsum violenter obtinuerunt. Nam reperti ibidem inimici, en malè turbantur, moriuntur, præcipitantur, quia crevit in hoc bello protervia Theutonicorum. & ulterius procedentes, nec hostes nec arma metuentes, triginta turres violentia expugnarunt, & cum gloria triumpharunt. Tandem Rex præsentibus Cardinalibus, Domino Baldevino, & pluribus aliis Romæ in Capitolio præsidens iudicio, plurimas proferendo sententias, Dominum Ludovicum de Sabaudia dignitate senatoria benivolè decoravit. Post hæc Ursini & Gelfhini conglomerati bellum permaximum genti regiæ intulerunt. Ibi hostis horribiliter irruit in hostem, hic verberando, ille perforando, alter alterum de equo præcipitando. Hi gladiis, alij baculis pugnant. Ibi Dominus B. de Columna & Petrus strenuissimè bellaverunt, & multi prostrati permanserunt. Hic clypeum clypeus, ictum reverberat ictus, & magnus erat tubæ clamor crepitantis in urbe. Hic viri eximij, magnaque probitatis gloria corusci, videlicet Theobaldus Leodiensis Episcopus, Abbas de * Vvyffenburch, & Petrus de Sabaudia invicti Israhel, bello in hoc gloriosissimo strenuissimè pugnando, heu heu ceciderunt,

* Apud Mus-
sarium lib. 5.
c. 5. Nuncem-
horc.

derunt, & morti debitum persolverunt. Nam hoc bello mota fuerat Romania tota. Ibi Regis exercitus Romam citra Tyberim obtinuerunt; & sic obtenta, tribus à Cardinalibus à latere Papæ ad hoc specialiter destinatis in sancto Iohanne Lateranis nno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, regni verò ejus tertio, die passionis Petri & Pauli consecrato, quæ est * x x i x. die mensis Iunii, in Imperatorem sollempniter consecratus, & ab Ecclesia in Monarcham dignissimè approbatus. Et abhinc recedens, legem Mosaycam rotulo inscriptam sibi porrigentibus reddidit Iudæis. Et ad sanctam divertens Susannam, ibidem curiam habendo sumptuosissimam cum Cardinalibus, Domino Baldevvino, & pluribus infinitis nobilibus & cunctis advenientibus sollempnissimè festinavit. Ipso tempore, die beatæ Mariæ Magdalenæ, fuerat hora diei tertia solis eclypsis permaxima in signo virginis caufata, cujus, proh dolor, signum anno patebit proximo. Deinde Imperator contra imperij adversarios acies dirigens, & fortalitium & castrum Cappe de Bont appellatum bellicosè expugnavit & incendio devastavit. Eodem anno, xxi. die Iulij, Tyberburch declinavit; ubi Dux Rudolphus Baviaræ & plures Domini Dominum Imperatorem valesfaciendo, maximo cum gaudio, successu de tam prospero repatriarunt.

C A P. X V. *De multorum castellorum & castrorum expugnatione, & pralio in Lancsfi, & Florentinorum obsidione.*

Pastor gentis metropolitanae & urbis Trevericæ Imperatorem nondum noscitur deseruisse. Nam secum eodem anno die fuerat x x i v. Viterbium ingressus. Hinc per Amilione, Cortone, Tudertum, Castellion violenter expugnabant. Marschalcus verò cum * prelibus sibi confederatis Marcant

* Villan. lib. 9. c. 42. & Albertus Argentinentis Imperatoris consecratione revocant ad diem primam Augusti.

Mustat. lib 8. c. 8.

* Ita in Ms.

celeriter invasit, & cum aliis sex castris, cunctis hostibus refrænatis, violenter expugnavit, & totam illam terram usque Pruse rapinis incendiisque devastavit. Deinde Imperator Montevvark & castellum sancti Iohannis bellicosè expugnatos igne concremavit, & nonaginta duos * Castellanos capistris collis impositis secum ducendo, graviter captivavit. Posthæc ante Lantsise prælium fuerat gloriosum. Ibi inimicus inimicum, vultibus distortis, validis clamoribus ortis, acriter impugnant. Hic percutit, ille repugnat; hic decollatur, ille trucidatur; multi præcipitantur, plures strangulantur; ibi diversi diversos ictus permultant, clypeæ galeæque resultant. Maximè hoc prælium fuerat ingravatum. Sed & Theutonici conglomerati, iracundiæque provocati, inimicorum exercitus maximis cum laboribus per medium diviserunt & ibidem pluribus in fugam versis, multisque occisis, triumphum validissimè obtinuerunt. Qua obtenta victoria, Domini Imperator & Baldevvinus aquam transeundo in * sancto Saulo anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, die prima Octobris, castris & tentoriis ibidem situatis obsidione Florentiam vallaverunt. Ibi tantus coadunatus fuerat exercitus quòd prima nocte suos adaquando equos aquam currentem periculosè transequitabilem vadum transierunt, ita totaliter difficaverunt quòd manè facto ejus fluxum minimè invenerunt, & ibidem multis pugnis Florentinos molestarunt, & totam illam terram rapinis & incendiis devastaverunt. Et abhinc ultima die Octobris, tentoriis replicatis & deportatis, castris incensis, recesserunt, & Pectiperdis declinaverunt. Quos Florentini hostiliter insequentes usque ad * Pontem acidum supra Leynam venerunt. Quod partes Henrici & Baldevvini cognoscentes, capitibus clypeisque re-

Mussat. lib. 9.
c. 2.

Villan. lib. 9.
c. 44.

*f. Catelanos

Ibid. c. 45.

La Badia di S.
Salvi. Villan.
lib. 9. c. 46.
Cœnobium S.
Salvi. Mussat.
lib. 9. c. 2.

* Pons Ancis.
Mussat.
ibid. Pons Alexis. Idem c. 3.

versis, ut lupus in agnos, in eosdem se raptuerunt. Fit strepitus multus, fit magnus utrinque tumultus. Capita truncata cadunt, lacerantur membra decora. Acriter pugnatur, belli fortuna vagatur. Tandem Florentinorum exercitus segregatur. Hi cornu dextrum cadunt, aliique sinistrum. Tandem Theutonici magis animositate quam ferro armati, tot tot occiderunt quod residui fugierunt. Dimissa parma fugit hic sua dum capit arma. Alter prostratus cadit in capiendo moratus. Plurima quid dico? Nullus succurrit amico. Et sic glorioso triumpho obtento Domini Henricus & Baldevvinus ad sanctum Cassianum diverterunt, & ibi aequaliter permanserunt.

CAP. XVI. *De castelli sanctæ Mariæ novellæ expugnatione.*

Verus fratris adulator Imperatoris iste Baldevvinus anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo die x v i. Novembris castellum sanctæ Mariæ novellæ situando tentoria obsidione circumsepsit, maximam habendo pugnam. Sui sagittis & ictibus muros & inimicos hostiliter petierunt. Illi se viriliter defendendo, non segnes, tela, lapides jacentes, tandem nimis defensionibus fatigati defecerunt, & in Dominum Baldevvinum gratiam eodem anno, x x v. die Novembris, unanimiter donaverunt, quod inde Dominus Baldevvinus plurima capiendæ castræ die Novembris ultima burgum sancti Cassiani est ingressus. Isto tempore Marchalcus Casele & totam terram violentia usque ante Senæ rapinis incendiisque devastavit. Hic Dominus Baldevvinus privilegia suæ Ecclesiæ, quod Bopardienses & Vesalienses in * stas & aliis Trevirorum Archiepiscopo obediant & intendant, in pignore ab Imperatore benivolè obtinuit. quod utiliter impetravit. Datum apud sanctum Cassia-

I ij

Villan, lib 9.
c 47.
Mussat. lib. 9.
c. 4.

* Kyriander le-
git storis. Vi-
de Brouver.
lib. 17. An-
nal. Trevir.
pag. 193. &
194 postrema
edit.

num in castris ante Florentiam anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, regni ejus quarto, imperij verò primo, Idus Decembris sexto. Isto anno die Epiphaniæ & multis alijs visa fuerat cometa in signo virginis tamquam situata. Fuit etiam eclipſis lunæ multorum futurorum malorum prænoſticiantia. Abhinc Domini Imperator & Baldevvinus Gebon devenerunt; ubi Imperator eodem anno xv. die Ianuarij more Treverico ſcribi conſueto libertatem ſituavit, civitatem initiavit, & primum ponendo lapidem, Montem imperialem appellavit. Poſthæc civitate bene firmata eodem anno, octavo die Martij, per Pyeſcolle Piſanæ civitati appropinquavit, ubi ſibi Cardinalis Hoſtienſis & multi alij obviantes humiliter inclinantes ſollemniter receperunt. Hic poſt tot triumphos choræ diverſæ parabantur, multimoda haſtiludia exercebantur. Quid plura? Gaudia gaudijs cumulantur. Ibi Dominus Baldevvinus ad ſuam terram viſitandam, breviter tamen, reverſus, Dominum Imperatorem valefaciendo xix. die Martij in portu Piſano cœpit navigio repatriare anno Domini millesimo tricentesimo tertio decimo, xv. die Martij Treverim in cunctorum lætitiâ ſollemniter fuerat ingreſſus.

CAP. XVII. De Imperatoris obdormitione

Subditorum cunctorum mitiſſimus deſenſator, rebellatorum verò rigidiffimus extirpator iſte Henricus ad veſaniam Roberti Sicilia Regis perdomandam verſus Neapolim, ubi ipſe habitavit, ita capiendõ, & veniens Bencõvent, eodem anno xv. Auguſti, id eſt, aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, Miſſam more ſolito devotè audiebat, & à quædam ordinis Prædicatorum religioſo dominici corporis Chriſti ſacramentum devotè recipiebat, cuius ſodalis ejuſdem profeſſionis ablutionem ſumendam

Muſſatus lib.
16. c. 8.

in calicem fundebat, quem ipse Imperator fidelissimè sumebat, & statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi intelligentes medici ipsum nulla infirmitate alia quàm intoxicationis materia graviter laborare, sibi indicarunt, devotissimè supplicarunt quòd hanc intoxicationis materiam sineret eos per inferendum sibi vomitum radicitus revocare. Quibus fertur respondisse: Malo migrando ad Dominum diem claudere extremum quàm generare scandalum in sacrum Dominicum & detrimentum Christianorum. Et sic in illa infirmitate usque ad diem Augusti xxiiv. laboravit, qui est dies Bartholomæi omnium Apostolorum secundùm sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum nobilissimus spiritum suo, qui fecit illum, reddidit creatori. Proh dolor! prospera in contrarium mutantur. Nam illud gloriosissimum Romanorum imperium à nullo fuerat Regum de tempore Frederici Imperatoris requisitum. Unde verè fuerat totaliter dissipatum. quod per istum maximis cum laboribus, præliis, & bellis anno Domini millesimo tricentesimo decimo tertio die prædicta. * Et ecce cometæ & solis eclypsis in signo virginis prius causatis significatio cunctis viventibus lamentabilis, heu heu, hîc adimpletur. Quis enim dubitat fidei catholicæ solem eclypsin passum fuisse, cùm post istius mortem multæ hæreses noscuntur extitisse? Quis superstes non vidit cometam comas caristarum & discordiarum in omnes mundi partes quamplurimum diffudisse? Nam illud gloriosum Romanum imperium verè fuerat revocatum, coadunatum, & in maxima parte restauratum; cuius recuperationis finis imminebat, quod, proh dolor, ista mors pessima toti catholicæ fidei nociva pessimè prohibebat. O mors pessima! quid fecisti? cur solem de mundo recepisti,

solatium seculorum, dominum armorum, æquitatem judiciorum, solatium viduarum & pupillorum rapuisti, & quicquid fuit juris rigoris, mundi decoris, fidei, honoris interemisti, infecisti, & heu omnimodè confudisti? Corpus verò ejus à Domino Henrico de Flandria Marschalco suo & suis fidelibus flebiliter lamentantibus Pisis fuerat relatum, aromatibus conditum, imperiali more redimitum, in Ecclesia Pisana eodem anno secunda die Septembris sollemnissimè fuerat terræ commendatum. Spiritus verò ejus cum sanctis martyribus coronatus in cœlestibus electis conregnet omnibus per infinita seculorum secula. Amen.

Incipit prologus libri tertij gestorum Domini Baldevvini de Luczelinburch.

Temperantia est virtutum perfectissima, quæ nec superflua nec diminuta attemptatur, quia circa abundantiam & defectum virtutes morales esse negantur, sed temperato inharere medio in ethicis affirmantur. unde singuli historiographi singulos persequentes stilo quadam scriptitare temperantia conantur, ut nec superflui nec diminuti quomodolibet inveniantur. In hac igitur historia quæcunque superaddita seu conglobata inveniuntur, non superflue ponuntur, sed ut legentes intelligentiam capiant planiorem. Cùm ergo ego cunctorum vernula scriptorum, qua potui temperantia, non magistrali, sed rudi fateor stilo hanc historiam huc usque pertractaveram, dignum est ut ei finem imponam, secundùm illud: *Nemo mittens manum aratro respiciens retro, regno adaptatur divino.* Dixi ideo corde intimo, *Custodiam vias meas*, terminando eas. Quomodo igitur procedam? Divinæ recordor vocis Moyli dicentis

Fac secundum exemplar quod tibi monstratum est.
 Exemplar enim hujus historię rubiginosis est quam-
 plurimum maculis obfuscatum. Nam oblivioni est
 in maxima parte jamjam ministratum. Divinum
 ergo invoco auxilium, ut mihi det exemplar mente
 innovatum, memorię revocatum, objecto clarissi-
 mo probatum, septuplum purgatum; de suę quo-
 que magnitudinis sede sapientiam mihi mittat in
 adjutorium, ut mecum sit, mecum laboret, & me
 ab uberibus suę consolationis dignetur lacta-
 re & torreute voluptatis domus suę potare, ut
 hanc historiam bono fine Deo, Treverensi Eccle-
 się ad honorem, Domino Baldevvino & pręsen-
 tibus ad favorem, & omnibus futuris ad exemplar
 utilitatis valeam terminare per eum qui cum Patre
 & Spiritu sancto vivit & regnat unus Deus per
 cuncta secula benedictus. Amen.

CAP. I. *De Ludovvici Regis per Dominum
 Baldevvinum procurata electione & co-
 ronatione.*

Rancoris materia heu! per lamentabilem mor-
 tem Domini Henrici Imperatoris Principis stre-
 nuissimi toti mundo illata, Domini Almaniae Prin-
 cipes Electores vota sua in duo diviserunt. Nam
 Dominus Baldevvinus pro Moguntinensi, Vvul-
 maro Brandeburgensi, & Duce Saxonię, & Io-
 hanne Rege Bohemię, qui ultra mille galeatos
 Bohemicos secum adduxerat, Franckenfort anno
 Domini millesimo tricentesimo xiv. in crastino beati
 Lucę Evangelistę Dominum Ludovicum Ducem Ba-
 varię, habens secum Vvilhelmum Iuliacensem, A-
 dolphum de Monte Comites, & alios quamplures
 Comites, nobiles, quos sua pecunia acquisierat, ultra
 quatuor millia galeatorum in propriis expensis unã.
 Henricus Colonienfis verò Archiepiscopus per nun-
 tios suos & Rudolphus Dux Bavarię Domini Ludo-

vici frater in Sasenhufen Fredericum de Austria Du-
 cem in Romanorum Regem elegerunt, qui in Bonna
 per Colonensem Archiepiscopum exstitit coronatus.
 Sed Ludovicus electus per Dominum Baldevinum
 Aquisgrani fuerat adductus cum potentia, suisque
 expensis per terram Colonensis Archiepiscopi
 contra ejus voluntatem Coloniam duxerat, quem
 cives ad Domini Baldevini preces in Regem Ro-
 manorum communiter receperunt. Hic Dominus
 Baldevinus libertates suæ Ecclesiæ & privilegia
 fecerat innovare & confirmare, sibi ab imperio
 impignorata corroborare, & Comites Palatinos pro
 se & omnibus suis heredibus omni suo jure in
 Mon. & Thuron procuravit simpliciter renuntia-
 re. Fecerat etiam Dominum Iohannem Regem Bo-
 hemiæ & Petrum Archiepiscopum Moguntinen-
 sem ad omnia prædicta consensum suum adhibere
 & per omnia approbare. Isto etiam tempore pon-
 tes lapideos, unum supra ripam Kile prope Yranx,
 alterum supra ripam Riviere dictam, funditus in-
 stauravit. Hinc sancti Beati juxta Confluente col-
 legium duodecim Canonicorum paravit, & per Pa-
 pam confirmare procuravit. Isto tempore fuit fa-
 mes permaximæque caristia in tota ista terra, ita
 quòd maldrum saliginis vendebatur Treverim pro
 sexaginta solidis. Tunc Graviscellis in * Hammone
 venditum est maldrum tritici septem libris Hallen-
 sibus, grossis tribus, pro x i v. h. Etiam pestilenti-
 a universalis erat adeo magna quòd multorum
 pauperum corpora ex nimia fame & pestilentia
 infecta in stratis publicè inveniebantur, & à plu-
 ribus civitatibus magnæ generales foveæ in cimi-
 terium consecratæ parabantur, & pretia statueban-
 tur ut ipsa cadavera sepulturæ traderentur. Istæ
 plagæ heu! post mortem lamentabilem Henrici
 Imperatoris in flagellum omnium nationum statim

ff. Hannonia

esse cœperunt, & plusquàm triennium miserabiliter duraverunt. Vnde quidam metrificator: *Vt lateat nullum tempus famis esse cucullum.*

CAP. II. *De iuramine facto Iohanni Regi Bohemiae per Dominum Baldevvinum.*

Eorum Regem & Dominum Baldevvini nepotem aliqui in Bohemia Domini, scilicet Dominus de Lippa & sui, volentes ipsum de proprio pelle regno. quod factum nuntium per Cellerarium ad aures Principis Baldevvini Treverim fuerat delatum. qui momentaneum colligens exercitum nobilium plusquam mille galeatorum, assumpto cum eo Petro Moguntino Archiepiscopo, Bohemiam hostiliter invaserunt, castra & oppida viriliter expugnaverunt. Quod intelligentes inimici, fugam turpiter inierunt; & sic Rege liberato apud Rex & Baldevvinus convenerunt, & obviis se manibus lætantissimè receperunt, & in amplexus amicabiles irruerunt, & ultra dimidium annum in Bohemia pro pace reformanda & fortalicis recuperandis dictus Baldevvinus remansit. Eodem tempore Dominus Baldevvinus & Iohannes Ludovicum suum Regem in Bavaria per Fredericum Ducem quasi obsessum intellexerunt; cui toto suo cum cuneo, Petro Archiepiscopo in Bohemia remanente, perrexerunt, & in Ezzelingen convenerunt, & ibidem in ripa permaximum permiscentes prælium diei circa crepusculum cum accensis cereis acriter pugnarunt. Ibi Dominus Baldevvinus Regem Bohemiae Militem fecit. propriis cum manibus pretiosissimè armatus gloriosius præliabatur. Tandem Fredericus cedere coactus, abhinc declinavit, & se per fugæ subsidium turpiter absentavit. Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo decimo quinto, videlicet in ipso ultimo caristia anno, Ludovicus & Frederi-

Vide Albert,
Argentin,

cus ante Spiram convenerunt; ubi Ludovicus in præsidium suorum se recepit in cimiterium Iudæorum, ubi ambo maxima victualium penuria laborarunt, ita quod adhuc nobiles rapas effodientes, esuriei satisfaciunt, ipsas comedere artabantur. Quod Dominus Baldevinus intelligens, maxima cum potentia & victualium quantitate copiosa adveniens, plurima Regi Ludovico victualia ministravit, & ipse cum Frederico Duce præliandi castra ante Spiram situavit. Fredericus verò cernens Ludovicum Regem & Baldevinum Archiepiscopum prævalere, Austriam reperivit. Ibi Baldevinus multa suæ Ecclesiæ impetrans privilegia, & Bopardiam & Vvesaliam & additionem Balgincheit in pignore suæ Ecclesiæ cum hulda acquisivit, & Treverim remeavit.

CAP. III. De pacis terræ conspiratione, Bruil prope Coloniam obsidione, & etiam quibusdam Domini Baldevini dominatione.

Vitæ laboriosissimæ iste Baldevinus noscitur exstitisse. Nam anno Domini millesimo tricentesimo decimo sexto Domini Baldevinus & verè omnes Principes electores Aquensem & civitates Rheni majores ad Ludovicum Regem in Norenberch & post in Bacheraco congregati, totius terræ pacem juramentis confirmantes, conspiraverunt, thelonia minoraverunt, & Comitem Hannoniæ terræ Advocatum partibus in inferioribus præfecerunt. Hic Dominus Baldevinus Bacheracensis & Rotibula cum hulda pro maxima pecuniæ summa Ecclesiæ suæ in pignus recepit, Sternenberg alienis legatum sibi donari redimendum impetravit, quod & redemit, & eo suam augmentavit Ecclesiam. Sequenti verò anno Domini millesimo tricentesimo decimo septimo Dominus Henricus Coloniensis Archiepiscopus pro Tulpeto reddendo

suæ Ecclesiæ Vv. Comitem Iuliacensem diffidavit. Cui Comiti Dominus Baldevvinus in adiutorium expeditionem non modicam suis sumptibus destinavit, cum inimicitia adhuc inter dictos Archiepiscopos regnarent propter electionis dissensionem. quam expeditionem Comes in Tulpetum per duodecim hebdomadas & quatuor dies collocavit. Unde in dicta expeditione existens sæpe cum Henrici partibus diversos habendo conflictus, alios necando, alios vulnerando, continuè triumphavit, & Tulpetum defendendo viriliter conservaverunt. Eodem etiam anno Stirberch prope Egram à Langravio de Luckenbergh legitima emptione facta feudum ligium & aperiibile suæ in perpetuum esse Ecclesiæ, ut in litteris continetur, utiliter ordinavit. Isto etiam tempore Vvitlich & Meyen muris circumdedit, & Canonicos regulares de Lonche propter frequentem hospitem visitationem depauperatos in Meyen transtulit, Ecclesiam ibidem eis incorporavit, claustrum eisdem edificavit, ut regulam Canonicorum possent liberius conservare. Isto etiam anno & sequentibus Henricus Coloniensis Archiepiscopus, Iohannes Comes de Cruenache & plures alij, cum essent de parte scilicet Ducis, conspiratam terræ pacem frivole violarunt. Nam omnes sua territoria transeuntes rigide spoliaverunt. Propter quod cives Colonienses castrum Brule anno Domini millesimo tricentesimo decimo octavo plusquam per tres menses obsidione compresserunt. Tandem hoc castrum voluntate civium in manus Domini Baldevvini fuerat collatum, tamen in hunc modum, quod si Henricus Coloniensis Archiepiscopus pacem terræ non servaret, ipse Dominus Baldevvinus hoc castrum in manus Coloniensium traderet destruendum. Et post in Septembri magnus terræ motus per longam moram perduravit. Sequenti vero anno millesimo tricentesimo

tesimo decimo nono Dominus Baldevvinus magnum conglomerando exercitum in Ludovici Regis adiutorium contra Fredericum Ducem castra ante Vvesebaden in loco Scherffsteyn dicto situavit; ubi Fredericus Dux intelligens Ludovicum & Baldevvinum prævalere, Baldevvinus verò quod Bopardienses, si ei non vellent obedire, posset auctoritate regia diffidare, impetravit, & Treverim remeavit. Isto etiam anno cives Colonienses Henricum eorum Archiepiscopum pacem terræ violasse coram Domino Baldevvino legitimè probaverunt, supplicantes castrum Brule sibi dari violandum, pro quo etiam pecuniarum summam sponderunt. Quod Dominus Baldevvinus, licet Archiepiscopus Henricus sibi tunc capitalis esset inimicus, facere recusavit. Nam dilapidationem Coloniensis Ecclesiæ nequaquam voluit tolerare, sed in manus dedit eorum, non violandum, sed Archiepiscopo resignandum pace reformata. quam pacem ipse Dominus Baldevvinus postea in Vravvenkathen prope Andernacum benivolè ordinavit.

CAP. IV. De Moguntina Ecclesia prima vice Domino B. commissione, Crucenache, Kestelim, Spaynheym obsidione, & Baldesteyn fundatione.

Æternæ memoriæ Dominus Baldevvinus anno Domini millesimo tricentesimo decimo nono maximis armatorum catervis in auxilium sui Ludovici Regis Argentinam sumptuosissimè perrexit; ubi cum Frederico Duce prælium libentissimè miscuisset, si ipse Fredericus perstitisset, qui cum suam partem deteriorem esse conspiceret, vadum Bruze transevit, & ut ita dicam, non fugiendo, sed plures coadjutores requirendo, repatriavit. Isto tempore Dominus Petrus Moguntinensis Archiepiscopus recordationis felicissimæ, defunctus

feculo, de carnis ergastulo feliciter migravit. Quo
 defuncto, Moguntinense Capitulum ante Argenti-
 nam venit ad Dominum Baldevvinum totaliter
 congregatum, & ad sanctam Moguntinensem se-
 dem in Capitulo concorditer ipsum postulaverunt.
 Et ecce non post multum temporis intervallum
 venit quidam nigrorum de ordine monachorum,
 Matthias nomine, electus & confirmatus à Papa
 in Archiepiscopum Moguntinensem destinatus, qui
 se omnimodè in Domini Baldevvini gratiam do-
 navit, electionem Domini Ludovvici Regis per
 Dominum Baldevvinum approbavit, & cum ipso
 sibi utiliter conspiravit. Vnde Dominus Baldevvi-
 nus ipsum à Capitulo in Archiepiscopum recepta-
 ri feliciter procuravit, de sua postulatione facta
 gratiarum multimodas referendo actiones. Post
 hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo
 Adolphum Ducem Bavariz, Comites de Spay-
 nheim, Nassauve, & Iohannem Comitem de
 Crucenache armis fuerat bellicis viriliter aggres-
 sus, & castrum Sprendelingen captum violenter
 obrinuit. Deinde ante Crucenache venit, incendia
 usque ad portas inferendo, & Iohanni Comiti
 ibidem plurima in blado & vino inferendo dam-
 na, ad maximam interemptionem deduxit. Postea
 in Spaynheim quæcunque extra castrum reperie-
 rat, crudeliter vastavit, & dehinc Kestelim, quod
 erat Simonis antiquioris fratris Domini Iohannis
 Comitis, circumdedit; & cum ibidem multa intul-
 lisset damna, neptis sua de Valkenburch exorta,
 illius terræ Comitissa, suis cum infantibus descen-
 dit, & se aspectui Domini Baldevvini præsentavit,
 & flebili voce allatis filiis clamavit: O pater reve-
 rende, numquid carnem tuam vis & sanguinem
 egestati dare, quam potiùs debueras à cunctis de-
 fensare, cum tui sint consanguinei? Pater recor-

dare, & parce nobis hodie. Nam potens es salvare. A quibus dictis pietatis visceribus ab intimis motus humiliter recessit. Eodem anno Baldensteyn supra Lanam propter rebellionem Reyneri & Iohannis de Vvesterburch à fundamentis violenter erexit, castrumque Richenberch tunc construxit, quod Vvilhelmo Comiti Katzenelenboge in feudum ligium cum omnibus pertinentiis dedit, & anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo primo ipsius castri Baldensteyn feudum ab illis de Vvesterburch suæ Ecclesiæ in perpetuum allodium comparavit. Et eodem anno conveniens Bacheraco ipsum castrum auctoritate regia libertari procuravit, & retentiones in omnibus imperij castris contra quoscunque, & quod omnia imperii obligata ubicunque posset redimere impetravit, & castrum Schadecke feudum ligium & aperibile facta emptione legitima procuravit, & Esch prope Clotten muro circumduci & libertari fecit. Isto etiam anno Dominus Baldevvinus illos de Dorsvivre ad satisfaciendum suæ Ecclesiæ Capitulo maxima expeditione congregata coartavit.

CAP. V. De Frederico Duce capto per Iohannem Regem Bohemia, & Furstenberg obsidione.

Recipere pacem, jure suo semper salvo, iste Baldevvinus promptissimus habebatur. Nam anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo secundo feria quinta post Bartholomæi cum heredibus Rudulphi Ducis Bavarix & Comitibus Nassave & Spaynheim, qui adjutores erant Frederici Ducis Austriæ electi contra Baldevvinum, multorum [precibus] inclinatus castrum Kirperch suæ Ecclesiæ aperibile ligium à Simone de Spaynheim Comite acquisivit, & terram quam undique violenter acquisierat restituit. Dicti etiam Duces Bavarix Ba-

cheracum Domino Baldevvino * p. l. confirmaverunt assignatione. Eodem anno Ludovvicus Rex & Fredericus convenerunt inter Ochingin & Molindorff congressione præiali. In quo prælio Dominus Iohannes Rex Bohemiæ Domini Baldevvini nepos strenuissimè pugnavit, & totum ipsius Frederici exercitum dissipavit, adnihilavit, totaliterque prostravit die sanctissimi antecessoris sui Vvenczelai Regis, ipsumque Fredericum cepit, & captum Ludovvico Regi, sub hoc pacto quòd ipsum non occideret, honestissimè assignavit. Sequenti verò anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo tertio & pluribus sequentibus annis Mars & Saturnus in geminorum erant coadunati signo. de quo astrologorum erat prænosticatio, quòd multa deberent prælia per diversa mundi climata sæviter regnare, diversæ quoque hæreses in Dei Ecclesia, proh dolor, pullulare. Eodem anno Dominus Baldevvinus Vvellensteyn prope Cruzenache & Frederici Silvestri Nuenbergh prope Kircastrum & turrim Seynheim feodum ligium & aperibile comparavit, & Regem Bohemiæ feodo in Symeren renuntiare procuravit, quod ligium & aperibile Georgius Comes Hirsutus à Baldevvino & Ecclesia sua Treverensi cum pertinentiis recepit, exceptis mismicis & castrensibus, ut in suo privilegiorum libro plenius continetur. Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quarto Smydeburch & partem Neurenburgi ligia & aperibilia fecit, & Comitem de Hennenberch xli. marcarum argenti annuorum reddituum feudalem statuit, quos redditus Ecclesiæ Treverensi in sua terra assignavit. Isto etiam anno Domini Baldevvinus, Rex Romanorum, Dux Lothringiæ, & Comes Barenfis confœderati fines Metensium exercituali potentia ingressi, quicquid extra civitatem

* Sic in Mf.
As Kyriander
edidit ipse pi-
gnus. Forre
leg. per litte-
rarum conf.
assignatione.

proprietatis habuerunt, decoris, & honoris, funditus destruxerunt, & eorum rebellionem nefandam penitus perdomarunt, & singulis ad emendam prae-standam, prout excessus imponebatur, coartarunt. Isto anno fuerat quidam sacerdos Coloniae degradatus & propter haeresim crematus. & verè tota civitas fuerat infecta pravitate haeretica, & vix purgata. quæ haeresis à Moguntinensibus fuisse dicitur initiata. Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quinto Dominus Baldevvinus Furstenbergh circumdedit, & in obsidione diu mansit: postea condignam recipiens satisfactionem recessit. Eodem anno Vvinterbergh à Iohanne Comite de Spaynheim feodum ligium & aperibile Ecclesiae comparavit. Et anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo sexto Ludovicus Rex fuerat Romam pacificè ingressus absque electorum suorum consilio, & non ab Ecclesia, sed à Senatu fuerat in Imperatorem coronatus.

CAP. VI. *De Bopardia expugnatione, san-
cti Vvandelini emptione, & Ecclesia Mo-
guntinensis Domino Baldevvino facta se-
cunda commissione.*

Omen bellicosum sapius iste Baldevvinus fuerat sortitus. Nam anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo septimo Dominus Baldevvinus Domino Matthiae Moguntinensi Archiepiscopo, qui Marchionis Misnensis oppidum Suden Geysen appellatum obsidione vallaverat, expugnare nequiverat, adiutorialem expeditionem destinavit, deinde personaliter veniens. Vnde hoc oppidum viriliter expugnavit, & cum tota sua acie in adiutorium Domini Baldevvini Bopardiae properavit; ubi Dominus Baldevvinus cum eis magnam habendo pugnam, eorum portas invadendo viriliter violavit, potenter intravit, & forinseci Bopardiae par-

tem oppidi cum suburbio, contra tamen intentionem Domini Baldevvini, cremaverunt, sic eos requirere suam gratiam malis eorum gratibus coartavit: qui se, oppidum, bona & corpora, suam implorando gratiam, voluntati suæ unanimiter redderunt, & sibi & suæ Ecclesiæ subjectionem & fidelitatem perpetuam juraverunt, juribusque, libertatibus, & privilegiis suis renuntiantes, Domino Baldevvino se & sua submiserunt. Isto anno totum sancti Vvendelini castrum & districtum comparavit. Sequenti verò anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo octavo quædam dissensionis materia inter Dominum Baldevvinum & Comitissam de Starckenberch super quibusdam bonis in Birkenfelt exorta. super qua Henricus de Spaynheim Præpositus Aquensis & Emmericus de Lapide Miles pro Comitissa & suis treugas Domino Baldevvino in manus suas Grimbergh promiserunt. Interim Dominum Baldevvinum per Mossellæ alveum navigio descendantem, non præmunitum, non diffidatum, dicta Comitissa prodicione pendentibus treugis captivum in suo castro Starckenberch tenuit captivatum; à qua captivitate, promissione facta se in sua vita nullum castrum in Birkenfelt constructurum, liberum tamen ædificandi arbitrium suis relinquendo posteris, fuerat liberatus. Eodem anno Matthias Moguntinensis Archiepiscopus viam universæ carnis fuerat ingressus. Hic fratres Moguntinensis Capituli Dominum Baldevvinum in suum Archiepiscopum unanimiter postularunt, & postea Dominum Baldevvinum in propria venientem persona suæ diocesis tutorem fecerunt, & castra & munitiones in ejus manus assignarunt. Qui statim cuncta ipsius Ecclesiæ debita ab antecessoribus multipliciter contracta, quia longissima cum Lantgravio Hassiæ fuerat

*Trithem. in
bron. Hir-
sug ad an.
1325. & in
chron. Spon-
heim ad an.
1328.*

*Trithem. in
c'ron. Hir-
sug ad an.
1328.*

in guerra, quæ nondum erat sedata, ne aliqua sua
percreverent damna, de sua propria pecunia fun-
ditus persolvebat. Isto tempore Dominus de Vir-
nenburch Henricus à Papa fuerat in Archiepisco-
pum electus, confirmatus eisdem & directus. Cui
Canonici crimina imponendo & defectus, ad se-
dem apostolicam appellarunt. Isto anno Dominus
Baldevvinus vallem sub Hoyenberg situatam, re-
novationem Vviskirche & Lyesheym castrorum li-
gia & aperibilia suæ Treverensi Ecclesiæ, recepta
stipulatione, ut in privilegiis cernitur, adjecit. Se-
quenti verò anno Domini millesimo tricentesimo
vicesimo nono Ludovicus Imperator Romæ quens
dam nomine Nicer de ordine fratrum Minorum
Antipapam creavit, & in sedem beati Petri collo-
cavit, Cardinales, Episcopos &c. Et ecce hæresis
prænoscificata hîc fuerat prænoscificata. Isto tempore
itinera juxta Cochime, Triis, Stupam, & Neve,
ubi equus inonustus vix poterat deduci, intantum
ampliavit quòd equus sarcinatus seu asinus onusta-
tus securè poterat pertransire.

CAP. VII. De fundo Carthusiensium em-
pto, & Baldenelez fundatione.

Rogatur itaque Dominus Baldevvinus jura Mo-
guntinensis Ecclesiæ rigidus observare. Nam cives
Moguntinenses per excogitatam suæ malignitatis
astutiam sub quadam æquitatis specie quædam ju-
ra Ecclesiæ sibi frivole usurparunt, & Dominum
Baldevvinum pro ipsius Ecclesiæ tutore recipere
recusarunt. Quorum fines Dominus Baldevvinus
circumquaque exercituali manu foiti deprædando,
devastando, hostiliter ingressus, eorum inflatam
superbiam rigidiùs edomavit. Oppidum quoque
Elteville appellatum inter Moguntiam & * Pige-
vviam situatum ædificavit, & Ecclesiam de Fley-
sheym in castellavit, ut mercimonia & alia quæ de

* Kyriander
Bingiam

Frankenfort secretè devehebantur, auferrentur, aliaque fortalicia circumcirca Moguntinenses acquisivit, ut per ea prohiberet quòd victualia & alia necessaria nulla possent adduci. sui que cum Moguntinensibus plura bella & rixas habuerunt; ibique multi occisi & læsi fuerunt, coactique frequenter Moguntinenses per pontes & fossata usque ad portas civitatis fugati fuerunt, de quo eos in Ecclesiæ tutorem se recipere coartavit anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo. Isto etiam anno castrum Smideburch tam comparando quàm ædificando dedit Treverensi Ecclesiæ. Eodem etiam anno juxta Treverim sanctum Albanum ab Abbate & conventu sancti Matthiæ comparatum ædificiis Carthusiensibus aptis cœperat decorare. Sequenti verò anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo primo Domini de Elcz, Erenberch, Vvaldeke, Schonecke, suis quampluribus cum complicibus, cupientes Domini Baldevvini magnanimitatis magnificentiam aliqualiter incurvare, rapinis terræ semitas perturbando, unanimiter conspirarunt. contra quos Dominus Baldevvinus exercituali potentia acies direxit, Elcz circumdedit, & Baldenelez à fundamento constructum, quo ejus potentiam nihilavit, mirabiliter firmavit. Eodem anno castrum Solmecze feodum ligium & aperibile fecerat, Vvinterava suæ Treverensi Ecclesiæ construxerat ad tuitionem. Alio sequenti anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo secundo guerra durante contra dicta quatuor castra, castrum Rufenberch à fundamento ædificavit, de quo potentia suæ malleo erecta contrivit cornua superborum. Eodem anno episcopatum Spirensis ad instantes preces Vvalrami fratris Comitum Vveldenciae ibidem Episcopi & Capituli, qui tot debitis erat gravatus & guertis quòd ulterius regere non poterat, ceperat regendum in

temporalibus. Et ecce tres episcopatus simul strenuè regebat, debita persolvit, distracta ad jus & proprietatem fideliter revocavit. Vnde sequenti anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tertio Domini de Elcz, Erenberch, Vvaldecke, Scho-necke, videntes quòd resistere suæ potentiae non valerent, post guerrarum fessarum diù duratarum excidia pacis dulcedinem postularunt, quam Dominus Baldevvinus pacis amator poscentibus fuerat largitus, & Iohanni de Elcz de suo castro Bal-denelcz suæ Ecclesiæ perpetuum juratum & fidelem Burgravium duxerat statuendum. Isto etiam anno, die Mariæ Magdalenaë, in meridie, fuerat Treverim subitaneum fluvium aquæ diluvium permaximum, ita quòd cuncti perterriti submersiois periculum timebant affuturum. Postea anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quarto dominium de Schurenberch à Domino de Vonisberch comparatum Ecclesiæ addidit Moguntinensi. Eodem anno Dux Lothringiæ die Novembris XIII. de homagio suo à Domino Baldevvino recepto munimenta tradidit litterarum. Alio anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quinto, ad instantiam Erfordiensium Dominus Baldevvinus personaliter cum magna potentia Marchionem Misnensem & Comites de Hoynsteyn hostiliter invasit, eosque per incendia & bella multum damnificavit. Sequenti anno Erfordienses Domino Baldevvino rebellaverunt: contra quos misit Marchionem & armatos suos, qui contra eos bella quamplurima habuerunt. Isto anno, die Simonis & Iudæ, fuerat

*Tyithem. in
chron. Hir-
saug. ad an.
1335.*

ventorum turbo in valitudine tanta quòd multa alta ædificia corruendo fuerant disrupta. Vnde quidam metrificator:

SIMONIS EXCELSI STERNUNT
TURBINE LVCI.

In quo versu computando M C C C X X X V. annos Domini poteris reperire. Anno verò Domini millesimo tricentesimo tricesimo sexto Dominus Baldevvinus episcopatum Spirensē à debitorum gravaminibus relevatum, & multum melioratum, pace reformatam, dictoque Vvalramo Episcopo de medio sublato, maxima gratiarum actione recepta, duxerat resignandum, & Gerlacum de Erenberch Spirensis diocesis in Episcopum eligi procuravit. Eodem anno turbat vina gelu, ventus segetes, & equos sprue.

CAP. VIII. *De monasterij Carthusiensium consecratione, castri Montis sancti Iohannis constructione, & Vvelsberch destructione, dominij in Limpurch emptione.*

Voce imperativa papali & Cardinalium consilio emissa anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo septimo Domino Baldevvino & Capitulo Moguntinensi fuerat mandatum ut episcopatum Moguntinensem in manus duorum Legatorum ad hoc in Pingviam destinatorum tamquam in manus Papæ liberè resignarent. Cui mandato Dominus Baldevvinus obediens accessit Bacheracum, convocans ibidem Capitulum & officiales Ecclesiæ Moguntinensis; præcepitque eis ut mandatis apostolicis obedirent, & juramento sibi per eos præstito libenti animo renuntiarent. Quo audito, quia videbant quòd eis amplius præesse non vellet, inobedienter ab eo recesserunt, & contra voluntatem Papæ & Domini Baldevvini Henricum de Virnenburg eis à Iohanne Papa destinatum, contra quem priùs crimina & defectus opponendo appellaverant, nunc in Archiepiscopum acceptarunt; qui statim omnia sua temporalia ab Ludovico Imperatore in feodum recepta, cum Domino Baldevvino est pacificatus. Isto anno appa-

fuit cometa Iudæorum interfectionis prænoſtica-
 tiva. Nam quidam depauperati nobiles ſibi Regem
 præfecerunt, cui nomen Arindeler impoſuerunt,
 qui civitatibus adhuc magnis expugnatis, Iudæos
 quotquot invenire poterat, crudeliter trucidavit.
 Alio anno Domini milleſimo tricenteſimo triceſi-
 mo octavo Edvardus Rex Anglorum Regem
 Franciæ ſupra ducatum Normandiæ diffidavit, &
 de Almania multis terrarum dominis plurima
 ſtipendia donavit, Franciam potenter intravit,
 cremando, ſpoliando, ſed minimè perfecit. Poſtea
 anno Domini milleſimo tricenteſimo triceſimo
 nono die Kyliani fuit eclipſis ſolis pluſquàm dua-
 rum horarum tempore meridionali. & poſtea in
 Autumno dicti de Svizere in Berna plures inter-
 fecerunt prælio triumphali. Iſto etiam anno Do-
 minus Baldevvinus Regi Anglorum tamquam in-
 finitis pecuniarum ſummis mutuaris coronam reg-
 ni prædicti pro pignore acceptavit. Sequenti ve-
 rô anno Domini milleſimo tricenteſimo quadrage-
 ſimo circa *Latate* viſa fuit cometa tamquam in
 cancro ſituata. & poſtea nundinæ Monſtruele præ
 Comitem Hannoniæ & Dominum de Valken-
 burch fuerant ſpoliatæ, multi occiſi. Eodem anno
 Rex Anglorum die nativitatſ beati Iohannis Bap-
 tiſtæ transfretavit, & multis Francigenis interfe-
 ctis, pluribuſq; phaſelis captis, glorioſius triumphavit
 Eodem etiam anno Dominus Baldevvinus ad
 veſaniam Comitum Vvalrami de Crucenache &
 & Comitſ Silveſtris de Duna perdomandam, Du-
 nam circumdedit, & caſtrum Montem ſancti Ioh-
 hannis appellatum à fundamento erectum contra
 Dunam fortiffimè firmavit. Et poſtea die Thomæ
 monaſterium & conventum Carthuſienſium juxta
 muros Treverenſes ab eo funditus conſtructum ſole-
 lemniter dedicavit. Sequenti anno Domini milleſi-

ftica-
egem
runt.
ndas
clavit,
ricifi-
egem
it, &
urima
ravir,
Postea
esimo
a dua-
tea in
inter-
o Do-
m in-
n reg-
ti ve-
drage-
am in
e pa-
alxen-
a anno
s Bap-
nterfe-
mpha-
us ad
che &
, Do-
eti lo-
contri-
homa-
o juxta
um fo-
mille

fimo tricentesimo quadragesimo primo in Maio Comes de Spaynheim per Dominum Ludovicum Imperatorem Domino Baldevvino fuerat reconciliatus. Comes verò Silvester de Duna in castro quodam Velsberch dicto retentus, Domino Baldevvino per aliqua tempora magna inferendo damna, nocturnali tamen tempore, per spolia & incendia persistebat; quæ Dominus Baldevvinus, tamquam leo se dormire simulans, supportavit. tandem evigilans, rugitu suo maxima exercituali potentia Velsberg obsidione vallavit. quam obsidionem Dux Lothringiæ cito suo conamine cupiens solvere, consilia & auxilia collegerat opportuna, eò quòd castrum suum esset feodum suoque in territorio situatum. Videns etiam potentiam Domini Baldevvini esse præminentem, timore tactus ad Dominum Baldevvinum in obsidionem properavit, secumque se quoscunque conligavit. Oblessi verò Domini Baldevvini videntes animositatem, cernentesque operum machinarum horribilitatem, quibus violenter expugnari metuebant, salvis rebus & corporibus in manus Ducis castrum ad Domini Baldevvini voluntatem violandum traderunt. & postea ad Domini Baldevvini iussionem funditus fuerat destructum. De qua tamen regalis & fortitudinis castri violenta & celebri destructione esset mirè mirandum, si ultioni divinæ non esset intitulandum. Nam ante obsidionem aura frigida & turbulentissima ante festum beati Martini, & in vigilia beati Martini qua obsedit, & postea in obsidione aura levis & gratissima annuo tempore contraria regnabat; sed castro violando tradito, cunctos ut priùs auræ intemperies molestabat. Vnde totus vulgus sanctos se vindicare proclamabat. Alio sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo Comes Silves-

ter de Duna fessus guerrarum excidiis, poscens
 amœnitatem pacis, in propria persona metu
 coactus ad Dominum Baldevvinum Trevericum
 ingressus palatium, se omnimodè suæ gratiæ con-
 donavit; cujus amicorum precibus Dominus Bal-
 devvinus inclinatus eum in suam gratiam accepta-
 vit. Isto etiam anno Durdtrachum in maxima par-
 te proprio igne divinitus flagellatum in tantum
 quod supra aquam dictam naves cum
 vino & mercimoniis, ita quod aquarum inundan-
 tia non poterant extinguere, cremabantur. Postea in
 vigilia Iacobi maxima erat aquarum inundantia
 per totum Rhenum, non à Rheno, sed à fluvio
 Mogos dicto, quod tamen contra suam est natu-
 ram, in flagellum causata, ita quod integræ villa
 ruptæ & defluxæ cernebantur. Eodem anno xxiii.
 die Ianuarij quasi in prima noctis hora pluvie
 grandine fulgura cernebantur & tonitrua audie-
 bantur. Eodem anno Comes Barenfis à Domino
 Baldevvino homagium & feodum iuramento inno-
 vatum acceptavit, & super eo duplicia munimina lit-
 terarum præbuit. Alio quadragesimo tertio anno Lu-
 dovovicus de Bavaria Imperator illustris Principis
 Domini Iohannis Regis Bohemiæ filio de terra
 Carintiæ, quam priùs sibi donaverat, eiectione, ux-
 orem eiusdem raptam & suo filio traditam absque
 Ecclesiæ iudicio, non desponsatam, immo adulte-
 ratam, terram fraudulenter obtinuit Carinthiorum.
 Sequenti verò anno Domini millesimo tricentesi-
 mo quadragesimo quarto Dominus Baldevvinus
 pontem trans Mosellam in Confluentia sumptuo-
 sius construxit. Eodem anno Dominus Reynerus
 de Vvesterburgh Dominum Baldevvinum diffida-
 vit. Unde Dominus Baldevvinus exercituali col-
 lecta potentia Schadeck simul & Grenzau expug-
 nata suæ Ecclesiæ obtinuit Trevirorum. Eodem

Vide Albert.
 Argentin.
 Sententiam
 divortij edi-
 dit Freherus.

anno medietatem dominiij de Limpurch facta emp-
tione legitima suæ Ecclesiæ adjecit. Alio quadra-
gesimo quinto anno Frifones Comitum * Hannoniæ
eis bellum inferentem sæviter occiderunt. Eodem
anno Dominus Baldevvinus privilegium perpetuum
per totam suam dioecesim contra mendicantium or-
dines super quarta parte legatorum parrochiali-
bus Ecclesiis donanda impetravit. Sequenti anno
Domini millesimo tricentesimo quadagesimo sex-
to Henrico de Virnenburch Moguntinensi Archie-
piscopo propter fautoriam Ludovvici de Bavaria ab
omni pontificali honore à Clemente sexto priva-
to, & * Nicolao de Nassavya in Moguntinæ se-
dis Præsulem creato, ac ipsum Ludovvicum de
Bavaria ab eodem Papa propter sua præscripta de-
merita ab omni dignitate regia sententialiter de-
posito, Principes Electores, videlicet Dominus
Baldevvinus Treverensis, Vvalramus de Iuliacho
Colonienfis, Gerlacus de Nassavya Moguntinen-
fis, Dux Saxonix, & Iohannes Rex Bohemiæ,
aliis vocandis vocatis, non tamen comparentibus,
dictas depositiones ratificantes, auditis procerum
regni sententiis in Rense diffinentibus quòd præ-
dictis sic se habentibus, eos ad electionem Regis
fore processuros. Qui unanimiter vota sua in Do-
minum Karolum Iohannis Regis Bohemiæ primo-
genitum direxerunt, & invocato Spiritus sancti
adjutorio in Romanorum Regem anno prædicto
tertia post Kyliani x i. die Iulij concorditer elege-
runt. Eodem anno inter Reges Francorum & An-
glia prælio permaximo perpetrato, Princeps se-
renissimus, Domini Baldevvini nepos, Miles im-
perterritus, Dominus Iohannes Rex Bohemiæ, li-
cèt cœcitate fuerit percussus, non minùs tamen
fuerat armatus, sagittis Anglicorum lethaliter vul-
neratus, viam universæ carnis vicesima sexta die

*Hollandiæ:
Vide Albert.
Argentin. &
Tribem. in
chron. Hir-
saug. ad an.
1345.

* Gerlace

Augusti fuerat ingressus. Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo, die Aprilis xx, quæ fuerat feria sexta infra octavas Paschæ, Reynardus de Vvesterburch auxilio Ludouuici de Bavaria & consilio, Domini Baldeuini Burgrauio proditoriè ejecto, residuum de Grenzeu sibi usurpavit. quod oppidani Confluentiæ reexpugnare & recuperare volentes, dum hostiles insidias adesse ignorarent, se ut leuiss ambulant dearmarent, arma famulis bajulanda commendarent, se ambulando disgregarent, plures capti, quamplures valde crudeliter fuerant trucidati. Eodem anno postquam Ludouuicus de Bavaria mala malis plicuisset, nec se saluberrimis Ecclesiæ monitionibus correxisset, die [xi.] Octobris, dum de venatione reversus fuisset, se membratim aggravatum sentiuisset, & denuo alleviationis causa equum ascendisset, spatium iniisset, crescente dolore se incuruans à suis per brachia receptus, amplexatus, sustentatus, spiritum celerius exhalavit. Isto etiam anno, die exaltationis sanctæ crucis, vineæ & nuces congelabantur caumate pruimali, ita quòd maxima vinorum caristia fuerat subsequuta. Alio anno quadragesimo octavo Dominus de Vvesterburch & peregrini Vilmarienses multa diocesi mala intulerunt.

CAP. IX. De Vermich, & dominij de Cornu verna emptione, & de Solmecze destructione.

Multorum consilio Dominus Baldeuinus facta emptione legitima Vermich castrum cum suis pertinentiis suæ Treuericæ Ecclesiæ comparavit, & Duci Iuliacensi, in cujus territorio situatur, in feodum perpetuum condonavit. Et Iuliacensis tunc Marchio à filiis suis captivitati addictus, Domini Baldeuini consilio * in curia Domini Karoli Imperatoris Moguntia celebrata confirmationem privile-

* Desunt heic nonnulla.

gio rumforum & super archicancellariatu regni Arelatensis obtinuit, ubi etiam per totam Galliam & Germaniam tutor & mamburnus fuerat constitutus regni Romanorum; quo plures sua feoda requirentes infeodavit. Quo etiam anno Hozolmecze cum pluribus confœderatis destruens, solo coæquavit. Eodem anno in capite Augusti collecta exercituali potentia Vilmar obsidione vallavit, ubi cum per quindecim dies contra Moguntinensium diffidationem sumptuosius potestativè perstitisset, pluribus hostibus occisis turres machinis diruisset, adversarij cum Domino Baldevvino placitare inceperunt, & eo modo convenerunt quòd castrenses recedentes, castrum & oppidum in manus trium nobilium specificatorum conservandum traderent, quòd si Dominus Baldevvinus ipsum ad suam pertinere Ecclesiam competenti testimonio ostenderet, sibi suæ Ecclesiæ nomine perpetuo jure conservandum assignarent, & vice versa adversariis ministrarent. quod obsessi corporali juramento præstito sponderunt, & Dominum Baldevvinum de obsidione recedere seduxerunt. quod subito, ut suprâ in Grenzau, temerè infregerunt. Eodem anno Dominus Baldevvinus castra & territoria Vrendenberch, Vrendensteyn, Coppa, & castrum & dominium de Coverna, cum suis castrensibus & pertinentiis comparata, & Bobingen feodum ligium & aperibile facta emptione legitima Ecclesiæ addidit Trevirorum. Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo nono Guntherus Comes de Svartzemburch à Domino Henrico de Virnenburch deposito Moguntino & Domino Ludovvico filio Bavarij Marchione de Brandenburch & Domino Rudolpho Duce Bavarix dicto de Heydelberch contra Dominum Karolum in Romanorum Regem electus, ante Franckenfort castra

Vide Alber.
Argentin,

situavit; cui Dominus Karolus Domini Baldevvini adjutorio prælium acturus manu exercituali prævalida obviavit. nam fortificatus, quia filiam dicti Ducis de Heydelburch sibi desponsavit. Unde dictus Gunterus intoxicatione, ut dicitur, infirmus videns se deceptum, corporeis viribus destitutum, suos electores cum Domino Rudolpho concordēs, coactus in propria persona Domino Karolo sigillum suum regium & signa regalia resignavit. quem Dominus Karolus in gratiam acceptavit. Eodem anno nova flagellatorum secta surrexit, sed effectus cujus ignoratur. Qui flagelliferi nudo corpore, capite capucio & pileo & pudebundis lineo velamine tectis, cruce & vexillis & candelis ardentibus prælatis, carmina hæresi mixta decantando, se durissimè ad sanguinis effusionem acubus flagellis intextis verberando, sæpius prostrando, sub quadam specie pœnitendi incesserunt. quam pœnitentiam non à sacerdotibus, sed à laicis susceperunt, quos magistros præfecerunt; quibus etiam confitebantur, & ab eis absolvebantur, & pœnitentiam injunctam peregerunt. quam sectam ut hæreticam Dominus Papa Clemens sextus damnavit, & Domino Baldevvino mandata destinavit, quæ Dominus Baldevvinus non per plebanos sed per suos Burgravios & Schultetos & Scabinos executioni mandavit, & eam vix extirpavit. Isto etiam anno Deus genus humanum triplici plaga flagellavit, ita quòd plusquam medietas hominum celsit ab humanis; primò epidimia videlicet, cui gibbus crevit quacunq; corporis parte, & omnes anhelitum ejus capientes celerius interierunt; secundò hemoroida, tertio id est sacro igne, ita quòd corpora sepulta in se ipsis celerius fuerant consumpta; sic quod ab orbis initio non fuerant tempora periculosiora. Quæ plaga à Judæis

fuerat imposita, sic quòd aquam in omni terra intoxicassent, de quo aër infectus, tales plagæ in omnia climata pullulassent. Quibus de causis in omni terra Iudæi alij suffocati, alij submersi, alij perforati, quidam prius suos pueros, postea semet ipsos igni injecerunt, & se voluntariè peremerunt. Et ista per sequentem annum duraverunt.

CAP. X. *De Monckeler, Lyesheym, Holsmecke, Elkerhusen destructione, & Domini Baldevvini obdormitione.*

Amen, dicit Dominus Petro, quæcunque ligaveris vel solveris super terram, in cælo ratificatur. Vnde anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo Dominus Clemens sextus Papa annum Iubilæum in Vrbe celebravit, & peccamina pœnæ & culpæ relaxavit. Eodem anno Iacobus de Monckeler litteras compositionis & concordiæ inter ipsum factas sigillo proprio & multorum amicorum suorum sigillatas infregit: quem Dominus Baldevvinus, amicis suis id ordinantibus, ad hoc deduxit quòd se captivitati ad Domini voluntatem adjecit, & in Treverico palatio tamquam pro serviendo aliquandiu mansit. Tandem Dominus Baldevvinus precibus inclinatus amicorum, acceptis litterarum munimentis, ipsum sub conditione acquitavit. Qui statim post Domini Baldevvini terras spoliando, cremando violavit. Vnde Dominus Baldevvinus anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo primo, Maij die secunda, Munckeler obsidione vallavit, villam Hamnavali introitu cepit, & turrim ibi ædificans, Griinecke appellavit. Tandem partes Domini Baldevvini suburbium iectibus sagittis hostiliter invaserunt, illi viriliter defendendo repulerunt. Ibi Dominus Hartardus de Schonecke non modicum lapidatus & parum ad brachium unum sagittatus,

sed magis armorum strictura & aëris & solis sus-
focatus, spiritum celerius exhalavit. quem Domi-
nus Baldevvinus apud sanctum Matthiam sole-
niter tumulari mandavit. Tandem Dominus exer-
citu commisso Confluentiam properavit. Ibi Co-
mes de Seyna tradens litteras, castrum hoc recog-
novit pertinere ad Ecclesiam Trevirorum. Ibi etiam
Comes de Berga castrum suum Vvindecke Domi-
no Baldevvino venditum, ab eodem feodum ligium
& aperibile suæ Trevericæ Ecclesiæ, homagium-
que de Arvvelst acceptavit, & se juratum homi-
nem subdidit Ecclesiæ Trevirorum. Reversus Do-
minus ad exercitum, fossatoribus conductis, qui
malleis rupium duritiem conterentes, turris fortio-
ris suburbij fundamentum ligneis stipitibus impo-
nentes, sepo, pice, sulfure linientes, incendentes
ipsam turrim cum parte muri dejecerunt & solo
coæquaverunt Et dum obsessi unanimiter protra-
derent, aliqui de parte Domini insilierunt: obsessi
verò penuria aquæ laboraverunt, & ad fontem scatu-
rientem situatum in fossata castri subterraneam
viam fecerunt. Quò partes Domini Baldevvini di-
versa opera sumptuosius facta laboriosius condu-
xerunt, & periculosius per scalas de rupe in ru-
pem à latere situatas fontem hostiliter petierunt,
& cum obsessis in eorum caverna ad fontem facto
conflictu maximo nimia sanguinis effusione caver-
na disrupta & obtenta gloriosius fontem obtine-
runt. unde obsessi omnis humoris solatio privati,
viso erecto ante castrum patibulo perterriti, gra-
tiam quæsierunt. Quibus Dominus Baldevvinus suæ
potentiæ magnificentiam nobilitatis pietatisque
mansuetudine temperavit, & eis quos jam violen-
tia devicit, sua gravia faciens damna, ministravit
gratiam. Nam indulsit quòd per duodecim dies
omni die de suo exercitu ad eorum victum vinum ac

emerent & castrum sine sui læsione observarent, ita quòd si eis aliquod adiutorium dissolvendæ obsidionis & iuvamen Domino Baldevvino nocendi quocunque possent modo sociarent; si verò nullum, tunc termino elapso singuli quæ vellent & possent una vice exportando castrum in manus Domini Baldevvini ministrarent. quod in crastino beati Thomæ productum fuerat ad effectum. Hunc magnificum & gloriosum triumphum Dominus Baldevvinus non suæ potentia jussit ascribi, sed clementia divinae bonitatis Dei ad honorem. In crastino natale Domini in horis & Missis Dominus in Monckeler effectus devotè celebravit, & cum suis lautius convivendo solemnitus festinavit. Castrum verò postea solo coæquavit, & ex opposito in sancti Petri allodio fortius castrum ædificavit, & Saresteyn appellavit. Isto etiam anno castrum Triis cum pertinentiis sibi jure cedens feodali Ecclesie addidit Trevitorum. Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo secundo Dominus Baldevvinus videns terrarum fertitas multiplicatas, raptoribus nimium perturbatas, quorum insultibus volens obviare, pluribus magnatibus sibi confœderatis, regio nomine generalem terræ pacem & ejus Advocatum Dominum de Sleyda ordinavit, & tertia die Junij exercituali potentia Dunam in Eyflia in suas manus tradi coartavit; cujus tamen posteriorem partem postea voluntariè Coloniensi Archiepiscopo assignavit; & plurima castrensum domicilia circa Dunam & Ulmenam, quæ fuerant raptorum receptacula, devastavit; & ultra Rhenum progrediens, castra Saffroch & Hofelebach, de quo obsessi tempore nocturnali metu corporeo coacti secesserant, annihilavit. Et posthæc Elkerhusen quasi inexpugnabile vallavit, & patibulo erecto, obsessis talem ac

f. averio

tantum metum incussit quòd * anesio suo deportato, castrum tradiderunt. quod igne crematum solo complanavit. Posthæc Harckenberch obsidione vallavit, Reynerum de Vvesterburch coartavit quòd Henricum de Graschaff captum liberum dimitti procuravit, & triumpho reversus fuerat glorioso. Alio anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo tertio Dominus Gerardus de Schoeckken juxta Treverim Bohemos in adiutorium Regis Francorum contra Regem Anglicorum properantes pignera cautione, ut asseruit, cepit & spoliavit, & eos in Lyesheym conservavit; quos Dominus Baldevvinus liberavit, & post hæc castrum disjectum nihilavit, & Geroltsteyn obsidione vallavit, ubi in tanta aquarum penuria laboravit quòd nihil proficiens, abhinc remeavit. Eodem anno Fredericus Comes Silvester tertia die Septembris recognovit quod castrum Tronecke distractum Marcha dictam cum appendiciis de Talevanck teneat ab Ecclesia Treverensi in feodum, & super eo duplicia tradidit munimina litterarum. Eodem anno Dominus Baldevvinus, præsentè Domino Karolo Romanorum Rege, Colonienfì & Moguntinensì Archiepiscopis, in vigilia natalis Domini in Ecclesia Moguntinensì Vesperas & in capella Regis Matutinas & primam Missam Natalis celebravit, Regem communicavit, & confirmationem multorum privilegiorum impetravit; & xv. Kal. Februarij Treverim reversus, infirmitatis molestia gravatus, receptis sacramentis, & auctoritate apostolica à pœna & à culpa absolutus, xii. Kalendas Februarij circa crepusculum spiritum suo, qui condidit illum, reddidit creatori in die sanctæ Agnetis anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo tertio more Treverico scribi consueto, anno nativitatìs suæ sexagesimo octavo.

octavo. Sedit annis quadraginta sex, septimanis sex, dies quatuor, & vacavit dies duodecim; cuius exsequias Capitulum solemnissimè per Episcopum Vlmacensem cooperante Episcopo Acconense & Abbate infulato, xii. Kal. Martij, præsente Domino Karolo Rege & pluribus magnatibus peragendo celebravit. Requiescit in posteriori choro Ecclesiæ Treverensis sancti Nicolai sepultus. Cujus anima paradifica capiat gaudia per æterna secula seculorum.

*Epitaphium præscripti Domini, ut habetur
in ejus tumba.*

Hic Baldevvinus jacet antistes Treverinus,
Magnificus, justus, patriæ lux, mente venustus,
Lutzlunburch natus, septeni denique gratus
Cæsaris Henrici germanus juris amici,
Vilis Ecclesiæ pater hujus dote sophiæ,
Quam bene respexit augens permultaque, rexit
Sex quadraginta ferè simul annis, quis sibi verè
Guerra frequens crevie graviter, quia rarò quievit
Vincere prædones & castra per obsidiones.
Anno milleno C. ter L. i. ter duodeno,
Carne Kalendarum fuit exutus Februarum.
Quem pie Rex Christe clementer ad æthera siste.
Amen.

ADMONITIO DE SEQUENTI EPISTOLA.

Quoniam supra pag. 132. ubi agitur de morte Henrici VII. Imperatoris, adnotatum est plerosque tum credidisse eum veneno esse necatum, quod ei datum sit à quodam religioso ordinis Predicatorum, quam tamen opinionem multi contenderunt esse fal-

sam, incidere non ita pridem in manus nostras exemplar earum litterarum quas ejusdem Imperatoris filius Iohannes Bohemæ Rex dedit ad eluendam maculam sanctissimo ordini iniustam, quarum discretam mentionem faciunt viri celeberrimi, Iohannes Trithemius, Nicolaus Serrarius, & Christophorus Broverus, visum est eas heic opportunissimo loco edendas esse. Sic ergo habent in veteri membrana authentica quam servant fratres Prædicatores Vindunenses.

Johannes Dei gratia Bohemæ Rex, Luccemburgensis Comes, universis præsentis litterarum inspecturis salutem in eo qui custodit veritatem in secula & facit iudicium omnibus qui injuriam patiuntur. Quia Salvator noster in hunc mundum venit ut perhiberet testimonium veritati, & nos secundum modulum nostrum debemus ipsum, quantum possumus, imitari, & maximè quando per vanitates & insanias falsas veritas corrumpitur in plateis & salus populi gravius impeditur ex eo quòd aliqui diminuant bonam famam illorum qui pro veritate fidei mittuntur ut sint in lucem gentium & loquendo & exhortando usque ad extremum terræ proficiant cuilibet ad salutem. Quicumque enim sic cogitant infamia vel procurant contra Dei nuntios seu ministros, restat procul dubio quòd contra populum Dei consilium malignantur. Vnde ait Propheta: *Super populum tuum malignaverunt consilium.* & causa ilico subinfertur: *quia cogitaverunt adversus sanctos tuos.* & sequitur: *ut non memoretur nomen illorum ultra.* Nos per autem retulit coram nobis religiosus vir frater Petrus de Castro-Reginaldi ordinis fratrum Prædicatorum quòd in magnum ipsius ordinis decus & contemptum facti sunt romancij, christi-

Psal. 82.